







Inter libros
Josephi · Mariæ · Parascandolo
· Antecessoris · Regii
A. L. X.

FRAGMENTA

VERSIONIS ANTIQVAE LATINAE ANTEHIERONYMIANAE

PROPHETARUM

IEREMIAE, EZECHIELIS, DANIELIS ET HOSEAE,

E CODICE RESCRIPTO

BIBLIOTHECAE VNIVERSITATIS WIRCEBVRGENSIS.



PROGRAMMA,

QVO INAVGVRATIONEM REVERENDISSIMI EPISCOPI RIPENSIS,

STEPHANI TETENS,

DOMINICA III. POST FESTVM S. S. TRINITATIS

SOLEMNI RITV PERAGENDAM,

INDICIT

D. FRIDERICVS MVNTER,

SELANDIAE, ORDINVMQVE REGIORVM AEQVESTRIVM EPISCOPVS, MAGNAE CRVCIS DANEBROGICAE EQVES, EIVSDEM ORDINIS CRVCE ARGENTEA ORNATVS.



HAFNIAE MDCCCXIX.

EX TYPOGRAPHEO SCHVLZIANO.

Al Signor Abate Parascandolo Lettore dell' Istoria



I.

Quanto plura temporum injuria perierunt antiquisſimæ eccleſiæ monumenta; tanto majoris utique æſtimanda sunt illa quæ ætatem tulerunt: in quibus haud ultimum locum occupant priſcæ Sacri Codicis verſiones, cum ob criticum quem præſtant uſum, tum quoque, quia luculentisſime declarant, divinæ veritatis fontes ab eccleſiæ inde primordiis apertos fuisſe omnibus Chriſtianis, atque in cultioribus regionibus nullos extitisſe coetus, quibus divinorum oraculorum in vernaculo idiomate audiendorum legendorumque defuerit opportunitas. Quas ob cauſas ii, qui veteribus verſionibus caſtigandis, atque edendis operam jam pridem, et ad noſtram usque ætatem navarunt, haud inutile opus adgresſos esſe, ſed et textui ſacro utriusque Teſtamenti expurgando atque conſtituendo, et hiſtoriæ rei Chriſtianæ illustrandæ ſerviisſe, non eſt quod multis probatum eamus.

In antiquisſimis vero, de quibus agimus, Sacri Codicis verſionibus *Latinas* illas, quæ *Antehieronymianarum* nomine comprehenduntur, numerandas esſe, inter omnes conſtat, quandoquidem religio Chriſtiana mature admodum in Italiam penetravit; id, quod ipſa ſacra volumina teſtantur: et quamquam dubium nonnihil eſt, an Paullus Apoſtolus, ut haud plane ſpernenda traditio perhibet, Hiſpaniam inviſerit, negari tamen nullo pacto poterit, Galliam atque Africam proconſularem ſeculo jam ſecundo florentes Chriſtianorum coetus aluisſe. Cum vero in Italia ſupera & media, ut et per totum illum Africæ tractum, Græcus ſermo, cultioribus duntaxat familiaris, a populo ignoratus fuerit; mirum non eſt, coetus Chriſtianos in ſacris, cum publicis tum domeſticis, vernaculas, h. e. latinas Sacræ Scripturæ verſiones adhibuisſe, quarum reliquiæ in antiquisſimis ſcriptoribus eccleſiaſticis eodem ſermone uſis, Tertulliano, Novatiano, et Cypriano, recentiores qui poſt ſeculum tertium floruerunt, ut taceamus, reperiuntur. Utramque autem terram, Italiam ſcilicet atque Africam, et hanc maxime, natale harum verſionum fuisſe ſolum, vel ex eo conjicere fas, quod plerique in iisdem coetus Chriſto collecti erant. Haud vero unam tantum, ſed plures, imo multas, non dicam univerſæ Scripturæ, ſed ſingulorum librorum, circumlatas fuisſe, uno ore teſtantur duumviri de eccleſia meritisſimi, Au-

gustinus atque Hieronymus, quorum hic: *Si enim latinis exemplaribus fides adhibenda est, respondeant, quibus? tot enim sunt exemplaria, quot codices.* [1]) Ille vero: *Qui scripturas ex hebræa lingua in græcam verterunt, numerari possunt; latini autem interpretes nullo modo. Ut enim cuivis priscis fidei temporibus in manus venit codex græcus, et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari.* [2]) In hisce versionibus illa, quæ *Usitatæ,* [3]) vel *Vulgatæ* et *Communis* [4]) nomen accepit, quia ad τὴν κοινὴν ἔκδοσιν versionis LXX viralis confecta erat, nonnumquam etiam ab Hieronymo *Vetus* appellata, quippe quam novæ illi a se ipso adornatæ [5]) opposuit, cæteris prælata fuisse videtur. Inter omnes vero N. T. versiones unam suis virtutibus eminuisse, fidem facit idem Hipponensis Episcopus, ita judicans: *In ipsis interpretationibus Itala præferatur; nam est verborum tenacior, cum perspicuitate sententiæ.* [6]) Italæ vero nomen, a Bentlejo et Ernestio, summis utique viris, aliisque viris doctis, nescio tamen, an satis idoneis de causis, rejectum, [7]) quibusnam e multis illis quæ supersunt variarum versionum fragmentis tribuendum sit, vix umquam aliquis adsequetur, nisi forte fortuna emergant codices eodem titulo inscripti.

Fragmenta quidem harum versionum undique dispersa, post Fabrum Stapulensem, Flaminium Nobilium, Martianæum, aliosque, ex codicibus, Patrumque operibus improbo labore collegit Sabaterius, et variantes lectiones magno numero adjecit ex iisdem fontibus. [8]) Versiones vero Novi Testamenti, singulorumque ejusdem librorum ex integris codicibus ediderunt Hearnius [9]) Blanchinius [10]) Matthæus [11]) Kiplingius [12]) Do-

---

[1]) Epist. ad Damasum. Edit. Maurin. Tomo I. pag. 1426.

[2]) De doctrina Christiana II. c. 1. Ed. Maur. Tom. III. pag. 19.

[3]) Augustinus de consensu Evangelior. II. c. 66. p. 59.

[4]) Hieron. in Eccles. I. c. 5. opp. Tomo II. p. 718. et Commentar. in Jesaiæ XIV. et XLVIII. Tomo III. pagg. 116.

[5]) id. Præf. in Josuam Tom. I. p. 247.
vide quoque Engelstoftii nostri Hieronymum Stridonensem §. 15. et 25.

[6]) de doctr. Christ. c. 15. p. 22. [7]) cf. Hugii Einleitung in das N. T. I. p. 384.

[8]) Bibliorum Sacrorum Latinæ Versiones Antiquæ, seu Vetus Italica. Tomi III. Remis 1743. fol.

[9]) in ed. Actor. Apost. Oxon. 1715.

[10]) Evangeliarium Quadruplex Latinæ versionis antiquæ f. veteris Italicæ. Romæ 1749. Tomi II. fol.

[11]) XIII Epistolarum Pauli codex græcus, cum versione latina veteri vulgo Antehieronymiana, olim Boernerianus, nunc Bibl. El. Dresd. ed. a Chr. Frid. Matthæi. Misenæ 1791. Qu.

[12]) Codex Theodori Bezæ, Cantabrigiensis, Evangelia & Apostolorum Acta complectens, quadratis literis, græco-latinus. Cantabrig. 1793. Tomi II. fol.

Browskius. [13]) Quibus tamen lucubrationibus nondum effectum eſt, ut variarum verſionum fragmenta accuratius diſtingui, inque ſuas claſſes referri poſſint; offenduntur præterea tot lacunæ, ut ex omnibus ne unus quidem, idemque integer textus reſtitui queat, licet integri habeantur libri in ipſam vulgatam verſionem recepti, quos Hieronymus latine haud reddidit; aliique, qui, licet ab eo fuerint translati, ex antiquiore tamen interpretatione ſuperſunt. Nimirum ex primo genere, quos Hieronymus haud transtulit: Libri Sapientiæ, Baruch, et Maccabæorum uterque. Ex ſecundo autem, quippe quos veteris eccleſiæ ſcrinia ſervarunt, licet ab Hieronymo fuerint latine verſi: Job, Pſalterium cum Romanum, tum Gallicanum, utrumque ab Hieronymo recognitum et correctum, illud Romæ, licet curſim et ſine accuratione critica, hoc vero in Palæſtina ſecundum emendatiſſimum textus græci exemplar Hexaplare [14]) Eccleſiaſtes, libri Eſther, Tobiæ et Judith. Quibus addere licet Siracidem ex Hieronymi commentario, et Canticum Canticorum ex Ambroſio pene totum et integrum hauſtum.

Nec difficulter plura antiquarum verſionum fragmenta invenientur, novam editionem operis Sabateriani, ſi quando parabitur, ornatura. In ipſis enim Juris Romani fontibus paucula leguntur Sacra Scripturæ effata, ex antiquiſſimis verſionibus hauſta. Extant præterea hujuscemodi in *Collatione legum Moſaicarum et Romanarum* [15]) auctore anonymo qui ſeculo V. vixiſſe videtur; quæ quidem, utpote Theologis minus nota, neglecta fuiſſe, nemo facile mirabitur. At vix et ne vix quidem intelligetur, qui factum fuerit, ut illi Corporis Juris Canonici tituli, quos *Gratiani Decretum* ſ. *Concordantia discordantium Canonum* continet, haud conſulti fuerint ab harum antiquitatum ſtudioſis, cum tamen bene noverint, eos collectos eſſe ex S. S. locis, patrum antiquiorum ſcriptis, Synodorum Decretis, atque Pontificum Romanorum epiſtolis, cum genuinis tum ſpuriis. Neque exiguum fragmentorum veterum verſionum ſpicilegium iſthoc volumine contineri, paucula ea quæ paſſim, ubi nimirum oculus, curſim illud inſpiciens, in loca S. S. incidit, excerpſimus, probabunt. Quibus fortasſis exemplis, quæ una cum iis de quibus mentionem fecimus, in fontibus Juris Romani reperiundis, paragraphus ſequens exhibebit, declarabitur, haud plane ingratum opus aggreſſurum, ſi quis ex Decreti codicibus et antiquiſſimis editionibus, quæ libros ma-

---

13) Fragmentum Pragenſe Evangelii S. Marci vulgo Autographi. Pragæ 1778. Qu.

14) Engelstoftii Hieronymus. §. 24.

15) Domitii Ulpiani Fragmenta libri ſingularis Regularum, et incerti auctoris Collatio legum Moſaicarum et Romanarum: quibus notas adjecit Jo. Cannegieter. Lugduni Bat. 1774. Qu. p. 175. ſequ.

unseriptos summa fide expresserunt, omnia Sacri Codicis loca ex antiquiori quadam versione hausta colligere in se susceperit.

II.

SPECIMINA FRAGMENTORUM VERSIONUM ANTIQVARVM IN LIBRIS JURIS ROMANI ET CANONICI.

A.

Ex Collatione legum Mosaicarum et Romanarum.[16])

Exod. XX. 16. Falsum testimonium non dabis [17]) adversus proximum tuum.

Ex. XXI. 16. Quicunque plagiaverit quemquam in Israel et vendiderit eum, morte moriatur.

Ex. XXI. 18. 19. Si autem contenderint duo viri, et percusserit alter alterum lapide aut pugno et non fuerit mortuus, decubuerit autem in lectulo, et si surgens ambulaverit homo foris in baculo, sine crimine erit ille, qui eum percusserat: præter accessionis mercedem dabit ei et medico impensas curationis.

Ex. XXI. 20. 21. [18]) Si quis percusserit servum aut ancillam virga, et mortuus fuerit in manibus ejus, judicio vindicetur. Quod si supervixerit die uno aut duobus, non vindicabitur: pretium enim ipsius est.

Ex. XXII. [19]) 1 et 3. Si quis involaverit vitulum, aut ovem, et occiderit, aut vendiderit, quinque vitulos restituet pro vitulo uno, quatuor oves pro ove una. Quodsi non habet, unde reddat, venundetur pro furto.

Ex. XXII. 2. 3. Si persodiens nocte parietem inventus fuerit fur, et percusserit eum alius, et mortuus fuerit hic, non est homicida is, qui percusserit eum: [20]) Si autem sol ortus super eum, reus est mortis percussor, et ipse morietur.

Ex. XXII. 6-8. Si exibit ignis, et invenerit spinas et comprehenderit areas, vel spicas, aut campum, æstimationem restituet ille, qui succendit ignem.

7. Si aliquis dabit proximo suo argentum, vel vas servare, et furatum fuerit de domo hominis; si invenitur, qui furatus est, reddet duplum.

---

[16]) *In editione Sabateriana sequentia fragmenta, licet haud parum diversa, leguntur; plura vero plane desiderantur.*

[17]) Versio antiqua: non dices.

[18]) Si quis percusserit servum suum, aut ancillam in virga..... reliqua desunt.

[19]) 1) Si quis furatus fuerit vitulum aut ovem..... reliqua desunt.

[20]) v. 3. Si autem Sol orietur super eum, reus est, pro morte morietur.

8. Quod ſi non fuerit inventus fur, accedet is qui commendatum ſuſceperat, ante Dominum, et jurabit, nihil ſe nequiter egiſſe de omni re commendata proximi ſui, et liberabitur.

Levit. XX. 10. Deut. XXII. 22. Ex. XXII. 16. 17. [21]) Quicunque moechatus fuerit cum muliere proximi ſui, morte moriatur, qui moechatus fuerit et quæ moechata fuerit. Quodſi aliquis ſeduxerit virginem non deſponſatam, et ſtupraverit eam, ducat eam ſibi in uxorem. Quodſi renuerit pater ejus, et noluerit eam dare illi in uxorem, pecuniam inferet patri in quantum eſt dos virginis.

Levit. XX. 11-13. [22]) Quicunque concubuerit cum muliere uxore patris ſui, pudenda patris ſui detexit, morte moriantur ambo: rei ſunt. 12. [23]) Et quicunque concubuerit cum nuru ſua, morte moriantur ambo: rei ſunt. 13. [24]) Qui manſerit cum maſculo manſione muliebri, aſpernamentum eſt, ambo moriantur: rei ſunt.

Num. XXVII. 1-11. Filiæ Salpadæ adſtantes ante Moyſem et Eleazarum, Sacerdotem et Principem, omnemque Senatum filiorum Iſräel in foribus tabernaculi teſtimonii, dixerunt: Pater noſter mortuus eſt, et filii non fuerunt ei, ſed filiæ: et ideo non deleatur nomen patris noſtri de medio tribus ſuæ: non eſt ei maſculus: date nobis poſſeſſionem in medio fratrum patris noſtri. Et obtulit Moyſes petitionem earum Domino Deo. Et locutus eſt Dominus Moyſi, dicens: Recte filiæ Salpadæ locutæ ſunt: et ideo dabitis eis poſſeſſionem hæreditatis in medio fratrum patris earum. Et dicimus hæc filiis Iſräel. Homo ſi deceſſerit et filios non habuerit, dabitis hereditatem proximo eorum de tribu ejus: et poſſidebit omnia ejus. Et erit hæc filiis Iſräel juſtificatio judiciorum, ſecundum quæ conſtituit Dominus Moyſi.

Num. XXXV. 16-18. Si quis percuſſerit hominem ferro, et occiderit eum, morte moriatur. Sin autem manu, lapideve, quo mori poſſit, percuſſerit, et mortuus fuerit, homicida eſt: morte moriatur. Si autem per inimicitiam impulerit eum, vel immiſerit ſuper eum aliquod vas ex inſidiis et mortuus fuerit: vel per iram percuſſerit eum manu, et mortuus fuerit, morte moriatur.

---

21) Lev. XX. 10. Homo, quicunque adulteraverit uxorem viri, aut quicunque adulteraverit uxorem proximi ſui, morte moriantur qui adulteravit & quæ adulterata eſt; locus parallelus Exod. XXII. 16. 17. deeſt in Verſione antiqua ut et Deuteron. XXII. 22.

22) Cum uxore patris, qui dormierit, . . . ambo moriantur . . . . .

23) Si quis manſerit cum nuru ſua, ambo moriantur . . . . .

24) Quicunque manſerit cum maſculo concubitu muliebri . . . . . ambo moriantur.

[25]) Num. XXXV. 22-25. Si autem per inimicitias immiſerit ſuper eum aliquod vas, non inſidians, vel lapidem, quo moriatur, non per dolum, et ceciderit ſuper eum et mortuus fuerit, ſi neque inimicus ejus; neque quæſierit maleſacere ei, judicabitis inter eum, qui percuſſerit, et proximum mortui, ſecundum judicia hæc, et liberabitis percuſſorem.

Deut. XVIII. 10-14. [26]) Non inveniatur in te, qui luſtret filium tuum, aut filiam tuam, nec divinus; apud quem ſortes tollat: nec conſentiat venenariis impoſtoribus, qui dicunt, quid conceptum habeat mulier: quoniam fabulæ ſeductoriæ ſunt. Nec intendas prodigia, nec interroges mortuos. [27]) 11. Non inveniatur in te augurator, nec inſpector avium, nec maleficus, aut incantator, nec Pitonem habens in ventrem, nec aruſpex, nec interrogator mortuorum, nec portenta inſpiciens. [28]) 12. Omnia namque iſta a Domino Deo tuo damnata ſunt, et qui fecerit hæc. Propter has enim abominationes Deus eradicavit Chaldæos a facie ſua. [29]) 13. Tu autem perfectus eris ante Dominum Deum tuum: [30]) 14. gentes enim iſtæ, quas tu poſſides, auguria, et ſortes, et divinationes audiebant.

Deut. XIX. 14. [31]) Non transmovebis terminos proximi tui, quos conſtituerunt patres tui, vel principes poſſeſſionis tuæ.

16-20. [32]) Si ſteterit teſtis injuſtus adverſus hominem accuſandum, accuſans eum impietatis, [33]) 17. ſtabunt duo homines, quibus eſt invicem contentio, ante Deum, et ante ſacerdotes, et ante judices, quicunque fuerint in illis diebus. [34]) 18. Cum inquiſierint judices diligenter, et inventus fuerit teſtis injuſtus teſti-

[25]) Memoriter citati hi verſus. Deſunt plane in verſione antiqua.

[26]) Nec invenietur in te, qui traducat filium vel filiam ſuam per ignem, divinationibus vel omnibus auguriis, et maleficis artibus, et incantationibus non ſervies.

[27]) Aut interroges magos, et hariolos, et mortuos.

[28]) Abominatio enim Domini eſt omnis qui facit hæc: et propter has abominationes Dominus Deus tuus conſumet eos a facie tua.

[29]) Perfectus eris cum Domino Deo tuo.

[30]) Quia gentes iſtæ, quas tu poſſidebis, hariolos et divinos audiunt.

[31]) Non transferes terminos quos poſuerunt patres tui......

[32]) Si autem ſteterit teſtis injuſtus adverſus hominem, detrahens ei iniquitatem.

[33]) Stabunt duo homines, quibus eſt ipſis contradictio, ante Dominum, et ante ſacerdotem, et in conſpectu judicis quicunque fuerit in diebus illis.

[34]) Et interrogabunt diligenter judices, et ecce teſtis injuſtus teſtificatus eſt iniqua, reſiſtens adverſus fratrem ſuum.

ficans injusta, insurgentes adversus eum, [35]) 19. facietis ei, sicut voluit malefacere: et delebitis malum de medio vestrum, [36]) 20. et ceteri audientes timebunt, nec audebunt mala facere inter vos.

Deut. XXVII. Levit. XVIII. 20. Maledictus, dixit Moyses, qui concubuerit cum uxore patris sui: et dicit omnis populus, Fiat, Fiat. 22. Maledictus qui concubuerit cum sorore sua de patre aut de matre: et dicit omnis populus, Fiat, Fiat. [37]) Maledictus, qui concubuerit cum nuru sua: et dicit omnis populus, Fiat, Fiat. [38]) Maledictus, qui concubuerit cum socru sua: et dicit omnis populus, Fiat, Fiat. [39]) Maledictus, qui concubuerit cum sorore patris sui: et dicit omnis populus, Fiat, Fiat. [40]) Maledictus, qui concubuerit cum sorore matris suæ: et dicit omnis populus, Fiat, Fiat. [41]) Maledictus, qui concubuerit cum sorore uxoris suæ: et dicit omnis populus, Fiat, Fiat. [42]) Maledictus, qui dormierit cum uxore fratris sui: et dicit omnis populus, Fiat, Fiat. [43]) Maledictus, qui dormierit cum omni pecore: et dicit omnis populus, Fiat, Fiat.

B.

Ex Codice Justinianeo.

Libr. I. Tit. I. *de summa Trinitate. Epist. Jo. Archiepiscopi Romæ.*

Præter nonnulla quæ memoriter tantum citata sunt, inveni sequentia.

Proverb. VIII. 15. Per me reges regnant, et potentes scribunt justitiam. [44])

— XX. 8. Cum rex justus sederit supra sedem, non adversabitur ei quidquam malignum. [45])

---

[35]) Et facite ei, quemadmodum nequiter egit facere adversus fratrem suum, & auferetis iniquum ex vobis ipsis.

[36]) Et ceteri audientes timebunt, et non apponent amplius facere verbum malignum hoc in vobis.

[37]) Levit. XVIII. 15. Sensum loci saltem exprimit. L. deest in *vers. antiqua.*

[38]) Deuter. XXVII. 23. deest in *vers. ant.* [39]) Levit. XVIII. 12.

[40]) ibid. 13. utrumque memoriter citatum. deest in *vers. ant.*

[41]) Deut. XXVII. 23. Maledictus, qui cum uxoris suæ sorore dormierit.......

[42]) Levit. XVIII. 16. Memor. cit. *versio ant.* habet: Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis. Turpitudo fratris tui est.

[43]) Deuteron. XVII. 21. Maledictus qui dormierit cum omni pecore........

[44]) Plane consentiunt cum *vers. antiqua.*

[45]) *vers. ant.* Cum rex justus sederit in throno. cetera desunt.
Vulgata. Rex qui sedet in solo judicii, dissipat omne malum intuitu suo.

Proverb. XXI. 1. Cor regis in manu Dei est, et ubi voluerit, inclinabit illud. [46])
Esaiæ XXVIII. 15. Posuerunt mendacium spem suam, et mendacio operiri speraverunt. [47])
— XXXIII. 4. Ut agnoscant (secundum Prophetam) linguæ balbutientes loqui quæ ad pacem sunt. [48])
— L. 11. Ambulate in lumine ignis vestri et flammæ quam succendistis. [49])

C.
Ex Decreto Gratiani.

In quo cursim inspecto bina sacræ scripturæ loca inveni, quæ in Sabateriana editione desiderantur, a quibus initium faciendum. Sunt nimirum.

Proverb. XX. 1. in *D. XXXIV.* c. 3. ex *Hieronymo contra Jovinian.* Lib. 2. Luxuriosa res vinum et tumultuosa (alii codd. contumeliosa) ebrietas: omnis (al. add. vero) qui cum his miscetur (al. qui his commiscetur) non erit sapiens.

Versio antiqua tantum habet ex *Ambros. L. II. de officiis:* Prodigium est vinum & contumeliosa ebrietas. Nostrum vero locum ex veteri quadam versione haustum esse, probat ejus dissensio cum Vulgata: Luxuriosa res vinum & tumultuosa ebrietas: quicunque his delectatur, non erit sapiens.

Ezechiel. XXXIV. 4. D. XLVI. c. 1. Vos autem cum austeritate imperabitis eis & cum potentia: qui quidem versus, licet in *Gregorii Papæ Moral. L. XXIII.* c. 7. legatur, omissus tamen est a Sabaterio. Ceterum cum Vulgata conspirat.

Nonnulla plane cum Versione antiqua consentiunt, utpote sequentia.

Genes. XIX. 8. D. XIV. c. 1. Sunt mihi duæ filiæ, quæ nondum noverunt viros: producam illas ad vos. Utimini illis quomodo (al. sicut) placuerit vobis, tantum in viros istos ne faciatis iniquitatem. Ex *August. quæst. sup. Genes.* c. 42.

Genes. XX. 4. D. XXXVIII. c. 16. Numquid gentem ignorantem perdes? lectionem hanc commendant Correctores romani, cum tamen Vulgata habeat:

---

[46]) *Vers. antiqu.* Cor regis in manu Dei; quocunque voluerit, declinabit illud.
Vulgata ... Domini ... inclinabit.

[47]) *Vers. ant.* Quoniam posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protegemur.
Vulg. quia ...... et mendacio protecti sumus.

[48]) *Vers. ant.* Et cor infirmorum attendet auditui, & linguæ balbutientium cito discent loqui verum.
Vulg. Et cor stultorum intelliget scientiam, et lingua balborum velociter loquetur et plane.

[49]) *Vers. ant.* Ambulate in lumine ignis vestri & in flamma quam succendistis.
Vulg. Ambulate ...... et in flammis quas succendistis.

Num gentem ignorantem et juſtam interficies? Extat vero noſtra lectio in *Ambroſiaſtro.*

Levit. XX. 7. in D. LXXXI. c. 23.

Sancti eſtote, quoniam ſanctus ego ſum Dominus Deus veſter. ex *Greg. M.*

Hoſeæ IV. 6. in D. XXXVIII. 6. *ex VII Synodo.* Tu ſcientiam repuliſti et ego repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi.

Plura vero in Decreto reperiuntur citata, in quibus textus ſacer ab utraque, cum Veteri tum nova verſione haud parum diſcedit, ita tamen, ut luculenter appareat, ea ex veteri aliqua verſione eſſe tranſcripta, quod et ipſi libri unde hauſta ſunt, ſine controverſia indicant.

Pſ. CI. v. 10. *in D. L. c.* 29. *ex Hormisda Papa.* Cinerem tamquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miſcebam. [10])

Pſ. CXVIII. v. 107. *D. XLIX. c.* 1. *ex Gregor. I. Paſtoral c.* 11.

Incurvatus ſum et humiliatus usque quaque. [11])

Prov. XVII. 15. *c. XI. qu.* 3. *c.* 57. *ex Hieron. in epiſt. ad Philem.*

Si quis dixerit juſtum injuſtum, et injuſtum juſtum, abominabilis uterque apud Deum eſt. [12])

Prov. XXVII. 6. *C. V. qu.* 5. *c.* 2. *ex Aug. ad Vincent. Donat. et Rogalianum, ep.* 48.

Meliora (al. add. enim) ſunt vulnera amici, quam voluntaria oſcula inimici. [13])

Eſaiæ V. 20. *C. XI. qu.* 3. *c.* 58. *ex Hieron. in epiſt. ad Philem.*

Væ, qui dicunt dulce amarum et amarum dulce, ponentes tenebras lucem et lucem tenebras. [14])

---

[10]) Habet quidem *antiqua* cum felle; lectio vero *cum fletu* occurrit apud multos patres a *Tertulliano* inde.

[11]) *Verſ. ant.* humiliaſti me usque quoque. *Vulg.* Humiliatus ſum usque quaque Domine.

[12]) *Verſ. ant.* Qui judicat juſtum injuſtum, injuſtum vero juſtum, execrabilis apud Deum. *Vulg.* Qui juſtificat impium & qui condemnat juſtum, abominabilis uterque apud Deum.

[13]) *Verſ. ant.* Utiliora vulnera amici quam voluntaria oſcula inimici. *Vulg.* Meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oſcula odientis.

[14]) *Verſ. ant.* Væ his — qui ponunt lucem tenebras & tenebras lucem; qui ponunt, quod amarum eſt, dulce, & quod dulce eſt amarum. *Vulg.* Væ — ponentes tenebras lucem et lucem tenebras; ponentes amarum in dulce & dulce in amarum.

Esaiæ XXXIII. 15. 16. C. XI. qu. 3. c. 66. ex Isidori sentent. de summo bono.

Qui excutit manus suas (al. manum suam) ab omni munere, in excelso habitabit. [55])

Zephan. III. 4. D. LXXXI. c. 23. ex Gregorio M.

Sacerdotes mei contaminant legem et reprobant legem. [56])

Malachias I. 6. 7. D. LXXXI. c. 23. ex eodem.

O vos Sacerdotes, qui fallitis nomen meum, et dixistis: in qua re fallimus (al. fefellimus) nomen tuum? Quibus responsum est; offerentes ad altare meum panes pollutos. [57])

Mal. 1. 10. D. LXXXI. c. 23. ex eod.

Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, et sacrificium non accipiam de manibus vestris, quia polluti estis. [58])

Matth. XI. 18. D. XXXV. 8. ex Ambros. de Elia et jejunio.

Johannes non manducans panem neque bibens vinum. [59])

Matth. XVIII. 19. D. XX. c. 3. ex Innocent. I. P. R.

Si duo ex vobis, vel tres conveniunt super terram in nomine meo, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis a patre meo. [60])

---

[55]) *Vers. ant.* Qui ..... manus excutit a muneribus; ... iste habitabit in excelsa spelunca, petra fortissima.

Vulg. Qui ..... excutit manus suas ab omni munere, ... iste in excelsis habitabit. Munimenta saxorum sublimitas ejus.

[56]) *Vers. ant.* Sacerdotes ejus polluunt sancta et impie agunt in legem.

Vulg. Sacerdotes ejus polluerunt sancta, injuste egerunt contra legem. al. versionim habet *Lucifer Calar. pro Athanas.* l. 1: Sacerdotes ejus prophetant (al. profanant) sacra & constelerant legem; et *Gildas castig. in Eccles. ord.* Sacerdotes ejus profanabant sancta, & impie agebant in lege.

[57]) *Vers. ant.* Vos sacerdotes, qui despicitis nomen meum, et dixistis: in quo despeximus nomen tuum? offerentes ad altare meum panes pollutos.

Vulg. O sacerdotes ...., offertis super altare &c. *Collatio Carthag.* O sacerdotes, qui profanastis nomen meum, et dixistis: in quo profanavimus nomen tuum? et ponentes in altari meo panes pollutos.

[58]) *Vers. ant.* Non est voluntas mea in vobis, dicit Dominus omnipotens, et sacrificium non suscipiam de manibus vestris.

Vulg. Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra.

[59]) *Utraque Vers.* Venit enim Johannes neque manducans neque bibens.

[60]) *Utraque Vers.* Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis a patre meo qui in coelis est. *Vett. multi:* Si duobus

Matth. XXII. 13. *D. XXXV.* 4. *in Hieronymo in Michæam. c.* 2.

In tenebras exteriores, ubi erit fletus et ftridor dentium. [61])

Matth. XXIII. 2. 3. *D. XIX. c.* 8. *ex Anaftafio II. P. R.*

Scribæ et Pharifæi fuper Cathedram Moyfis fedent; quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite. Dicunt enim, et non faciunt. [62])

Actor. XX. 26. 27. *D. XLIII. c.* 4. *ex Gregorii M. epift.* L. I. 33.

Mundæ funt manus meæ a fanguine omnium veftrum; non enim fubterfugi, quo minus annunciarem omne confilium Dei vobis. [63])

Rom. XII. 16. *D. XLIII. c.* 1. *ex* ejusd. *Paftoral.* p. II. c. 4.

Non plus fapere, quam oportet fapere; fed fapere ad fobrietatem. [64])

Rom. XIV. 21. *D. XXXV. c.* 2. *ex Hieron. c. Joviniari* L. 1.

Bonum eft vinum non bibere, et carnem non comedere. [65])

1 *Cor. V.* 5. *D. XLV. c.* 17. *ex Origene Homil. VII. in Josu. Rafnio interpr.*

Tradidi ejusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut fpiritus falvus fiat. [66])

Philipp. IV. 12. 13. *D. XLI. c.* 4. *ex Auguftini quæft. in Evang.* L. II. c. 11.

Scio et minus habere; fcio et abundare, ubique et in omnibus imbutus fum; et fatiari et efurire, et abundare & penuriam pati. Omnia posfum in eo qui me confortat. [67])

---

ex vobis convenerit. *Cantabr.* fi duo convenerint. *Ennod. Epift.* 1. 5: Si convenerit duobus aut tribus veftrum.

[61]) *Utraque Verf.* loco *ubi* habet *ibi* confentiente *Hieronymo* in *Epiftola ad Heliodor.*

[62]) *Utraque Verf.* Super cathedr. Moyfi federunt fcribæ & Pharifæi. Omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, fervate et facite; fecundum autem facta eorum (Vulg. n. fec. opera vero eorum) nolite facere. Dicunt enim et (Vulg. v. ipfi) non faciunt. v. 2. Scribæ & Pharifæi; fic *Tertull. de monog.* reliqua: quæ dicunt facite &c. fæpius apud *Auguftinum.*

[63]) *Utraque Verf.* Quia mundus fum a fanguine omnium veftrum, non enim fubterfugi, ut non (*Vulg.* quo minus) adnunciarem vobis (*Vulg.* rejicit *vobis* ad extr) omne confilium Dei.

[64]) *Verf. utr.* Non alta fapientes, fed humilibus confentientes.

[65]) *Verf. utraque.* Bonum eft non manducare carnem et non bibere vinum.

[66]) *Verf. utraque.* Tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut fpiritus falvus fit. Tradidi. et hominem, legitur ap. *Tertull. de pudic. Cæfar. Arelat.* Hom. 38. dedi hujusmodi hominem. al. variet. lectt. vide ap. Sabatier III. p. 671.

[67]) *Verf. utr.* Scio et humiliari, fcio et abundare; in omni et in omnibus imbutus fum (*Vulg.* inftitutus fum) et fatiari et efurire, et abundare et egere (*Vulg.* penuriam pati). Omnia posfum in eo qui confortat me (*Vulg.* qui me conf.) Proxime ad lectionem noftram

1 *Timoth. III.* 6. *D. XLVIII. ex Actis Concil. Nicæni.*
Non Neophytum: ne forte elatus (al. add. in fuperbiam) in judicium incidat, et laqueum diaboli. [68])

1 *Timoth. V.* 20. *D. XLV. c.* 17. *ex Origene Homil. VII. in Jofu. Rafnio interpr.*
Peccantem coram omnibus argue, ut et ceteri timorem habeant. [69])

1 *Petri II.* 17. *D. VIII.* 1. *ex Auguftino ad Joh.* 1.
Regem reveremini. [70])

1 *Petri III.* 15. *D. XXXVI. c.* 2. a *Gratiano* citat.
Parati esfe debetis reddere rationem omni pofcenti vobis fatisfactionem de ea fide et fpe quæ in vobis eft. [71])

Apocal. XXII. 11. *D. XLVII. c.* 9. *ex Auguftini epift.* 137.
Juftus juftior fiat (al. juftificetur adhuc) et fordidus (al. qui in fordibus eft) fordefcat adhuc. [72])

III.

Sed e diverticulo in viam, unde digresfus fum. Vetuftæ illæ verfiones de quibus disferui, poft emendatam latinorum Bibliorum, quam Hieronymus adornavit, novamque illam ab eodem auctore divulgatam, quæ totum Novum Teftamentum maximamque Veteris partem complexa eft, fenfim in oblivionem abierunt, maxime poftquam Vulgata illa verfio, quæ ex Antehieronymiana atque Hieronymiana in unum corpus coaluerat, fæpius caftigata, tandemque in Ecclefia Catholica auctoritatem publicam nacta fuerat. Tametfi vero, paucis libris integris exceptis, fragmenta tantum earum fuperfint e codicibus atque allegationibus immenfo labore a viris doctis

---

accedit *Auguftinus Confesf.* Scio et minus habere, fcio et abundare, in omnibus & in omnia imbutus fum; et fatiari & efurire & penuriam pati.

68) *Verf. utr.* Non Neophytum: ne in fuperbiam elatus, in judicium incidat Diaboli.

69) *Verf. utr.* Peccantes (V. v. add. autem) coram omnibus argue, ut et ceteri timorem (V. v timore) habeant.

70) *Verf. utr.* Regem honorificate.

71) *Verf. ant.* Parati femper ad refpondendum omni pofcenti vos rationem de fide et fpe quæ in vobis eft. *Vulg.* Parati femper ad fatisfactionem omni pofcenti Vos rationem de ea quæ in vobis eft fpe. Sic quoque *Corbejens. lat.* 2. qui tamen adjicit verba: et fide.

72) *Verf. ant.* Et qui in fordibus eft fordefcat adhuc: juftus autem juftiora faciat. *Vulg.* in primo membro confpirat; alterum ita exprimit: et qui juftus eft, juftificetur adhuc. Noftram lectionem exprimit *Auguftinus* pluribus in locis. *Sabat.* III. p. 1035.

undique collecta atque in ordinem redacta, multum tamen abest, ut omnes unde nova subsidia peti possint, obturati sint fontes: quin magnopere sperandum, e Bibliothecarum latebris complures novos in lucem prodituros esse; in primis ubi istarum gazarum custodes ad codices qui rescripti s. palimpsesti vocantur, accuratius investigandos sese contulerint. Quot enim reconditæ eruditionis thesauri in hujusmodi vetustissimis libris supersint, vel unius Bibliothecæ Ambrosianæ Mediolanensis plutei, e quibus Angelus Majus, V. Cl. maximo literarum commodo nuper Ciceronis, Frontonis, Plauti, Symmachi, Themistii opuscula et fragmenta in lucem iterum protraxit, abunde commonstrant. Neque abjicienda spes, similes copias prodituras e Bibliothecis Germanicis, iis maxime, quæ antiquissimis codicibus in thesauris et sacrariis Ecclesiarum Cathedralium atque Coenobiorum per multa abhinc secula religiosissime servatis, abundant. Quam quidem exspectationem haud irritam fore, fidem faciunt ipsa illa veteris versionis prophetarum fragmenta, quæ heic in conspectum damus. Namque hæc, in tabulario Capituli Wirceburgensis per mille propemodum annos servata, post rerum Germanicarum novissimas conversiones in Bibliothecam florentissimæ Universitatis a Julio Episcopo ac Principe sapientissimo ista in urbe conditæ, migrarunt. Neque neglecta illa. Is enim qui tum temporis Bibliothecæ præerat, Michael Federus, Theologus multis nominibus clarus, ad difficile opus dudum alacri animo sese accinxerat, et immenso sane labore literarum veteres plurimumque pene evanidos ductus, sub recentiori scriptura magnam partem latentes, multis in foliis extricaverat atque integras columnas, ubicunque liceret, in suas schedas transscripserat; ingravescente vero ætate impeditus, quo minus in publicam ederet lucem. Quas quidem, cum æstate anni proxime elapsi in itinere Germanico Wirceburgum inviserem, unâ cum ipso codice attentius examinavi; earumque describendarum edendarumque veniam facillime nactus sum a venerando sene, ejusque in hujus Bibliothecæ præfectura eruditissimo successore J. C. Goldmaiero Philos. Prof. P. O. viro humanissimo; annuente Illustrissimo atque Excellentissimo Universitatis Wirceburgensis Curatore primario, Francisco Wilhelmo L. B. de Asbeck, Aug. Bavariæ Regi a consiliis sanctioribus, Circuli Moeni inferioris Commissario generali, Ordinis meritorum civilium inter supremos Dignitarios, cujus literarum amorem earumque promovendarum indefessum studium omnes Musarum cultores suspiciunt, cujusque singularis quam et ego expertus sum, benevolentiæ memoriam nunquam non grata mente recolam. Si igitur hæcce antiquarum S. Codicis versionum latinarum fragmenta Theologis, aliisque viris doctis probabuntur, sciant, non tam mihi quam horum optimorum virorum liberalitati ea deberi.

Sed, quo magis eluceat, quantum in enucleando difficillimo hujus codicis priſtino contextu præſtiterit Federus, ſimulque inſigne iſtud κειμήλιον innoteſcat iis qui procul a Wirceburgenſi Bibliotheca abſunt, ſummam brevis deſcriptionis a Federo jam pridem in vulgus emiſsæ, [13]) additis pauculis meis obſervationibus ſubjungere juvabit.

IV.

Eſt nimirum in antiquioribus hujus Bibliothecæ codicibus, membranaceus No. 64 a. notatus, in forma quæ dicitur Octava minori, 158 foliis conſtans, quæ 20 quaterniones efficiunt, quorum unusquisque 8 folia habet. Membranæ ipſæ variæ ſunt indolis, pleræque tenuiores ovillæ, aliæ craſsiores vitulinæ. In ſeptem et decem quaternionibus veſtigia antiquioris ſcripturæ apparent, in tribus vero, primo, quarto et ſexto, nonniſi recentior cernitur. Hæc quidem exhibet Commentarium S. Auguſtini in XXXII pſalmos priores, ſæpius editum, nec remotæ adeo vetuſtatis: eſt enim literis curſivis longobardicis exaratus, et ſeculo X poſterior. Sub hoc vero charactere conſpiciuntur in plerisque, 134 nimirum foliis, veſtigia ſcripturæ longe antiquioris, atramento pallido e terra quadam colore nigro vel fuſco tincta, olim exaratæ. Alia vero fuit priſca membranarum forma, Quarta nimirum oblonga: quo factum, ut cum codex alii uſui deſtinaretur, folia in formam Octavam flecterentur; unde ortum eſt, ut omnia, quæ adhuc legi posſunt, valde turbata ſint.

Licet vero antiquior ſcriptura ſpongia deterſa fuerit, ita tamen ut literæ haud quidem penitus deletæ, ſed magna coloris ſui parte exutæ, præterea etiam recentiori ſcriptura plerumqve opertæ ſint, ſatis tamen certo in univerſum de priſtina hujus codicis ratione judicare licet. Erat enim, uti jam monui, in forma quarta exaratus. In quavis pagina duæ erant columnæ modico intervallo diſtinctæ, unaquæque 25 lineis conſtans, tituloque inſignitæ, v. c. DANIEL PROFETA. Ipſæ lineæ non quidem æque longæ, nonnunqvam unum tantum verbum continent, pleræque vero 15 circiter literas habent, nonnullæ etiam plures. Ipſæ literæ ſunt inter Unciales et Semi-

[13]) In libro, qui inſcribitur: Verſuch einer Chorographie der Erz- und Groſsherzogl. Haupt- und Reſidenzſtadt Würzburg, von Joſeph Anton Oegg; Viro docto, antiquitatum patriarum, et, rei inprimis diplomaticæ peritisſimo. Recenſentur a pagina inde 497. LXXX Codices latini ſeculis fortasſe VII, VIII, atque IX et X exarati, in tabulario Capituli Cathedralis Wirceburgenſis olim asſervati, quorum jam maxima pars in ſcrinia Bibl. Univerſitatis migravit. Edebatur hic liber anno 1808; Continuatio vero morte auctoris intercepta eſt.

unciales intermediæ, paucæ cernuntur verborum abbreviaturæ, linea horizontali superne posita indicatæ; verba nullo intervallo disjuncta sunt, neque interpunctionis ulla vestigia apparent. Unde jam satis tuto arbitrari licet, ad antiquissimum scripturæ genus huncce codicem pertinuisse. Jam vero, si cum charactere Frontoniano in palimpsesto Mediolanensi comparaveris, [74]) magnum utique inter utrumque consensum in plerisque literarum formis reperies; neque multum discrepat a specimine tertio codicis palimpsesti Ambrosiani, qui Plauti comoediarum fragmenta exhibet. [75]) Unde, eos vix a veritate aberraturos existimo, qui antiquiorem hanc codicis scripturam ante Carolingica tempora exaratam statuant; neque magnopere refragabor, si qui sexto vel septimo seculo adjudicent. In qua vero veneranda adeo antiquitate, quantum dolendum, non integrum superesse textum; ne illa quidem quæ ætatem tulerunt folia, continua et non interrupta serie legi posse! Turbata enim esse omnia jam animadverti. LI. illa fragmenta Prophetarum quatuor majorum, et Hoseæ, quæ Federus recensuit, nullo sese invicem ordine excipiunt. Plurima desiderantur; multæ paginæ legi plane nequeunt; aliæ nonnisi singulis in locis nec sine magna difficultate: aliæ denique faciliores sese oculis præbent. Quæ autem sine oculorum discrimine enucleari potuerunt, a Federo felici successu tentata sunt. Restant tamen fortassis aliquæ paginæ in quibus extricandis haud incassum laborabunt, qui acrioribus oculis sunt instructi, atque in Palæographia bene versati. Cujus generis fragm. XL. Jesaiæ, aliudque Jonæ, quod ipse observavi. Aliis, quæ plane deleta esse videntur, forsitan medelam afferent artes Chemicæ. De maxima vero foliorum parte desperandum, etsi singulæ lineæ vel voces legi possint, unde colligere licet e quo Propheta textus sacer depromtus sit.

Ceterum, non omnia Prophetarum fragmenta quæ Federus exscripsit, esse inedita, comparatio cum Sabateriana editione quemvis docebit. Attamen vel ea quæ typis jam expressa leguntur, haud parum discrepant a Sabaterianis, cum iis quibus ad constituendum textum usus est, tum quoque a variantibus lectionibus in notis larga manu collectis. Novum igitur ex his quoque verbis Hieronymi accedit argumentum: *tot esse latina exemplaria quot codices*; atque Augustini: *latinos interpretes numerari nullo modo posse. Nam temporum lapsu, exemplarium copia, librariorum imperitia vel negligentia ita variam fuisse (sc. Versionem latinam), ut vix tolerari posset, ita suspectam ne in*

[74]) v. tabulam æri incisam ad calcem Partis II. ed. principis Mediolanensis adjectam.

[75]) M. Accii Plauti fragmenta inedita item ad P. Terentium Commentationes et picturæ ineditæ. inventore Ang. Majo. Mediol. 1815. Tab. ad pag. 34.

Græco aliud inveniretur, ut inde aliquid proferri aut probari dubitaretur. [76]) Nec melior illius codicis in quo nostra fragmenta servata sunt, fuisse videtur ratio. Deest in ejus contextu *perspicuitas illa sententiæ*, quam in N. T. versione Itala laudat Augustinus; [77]) deest præterea omnis latini sermonis elegantia. Unde fortasfis conjicere licebit, hancce versionem vix in Italia, neque ab homine in scribendi arte versato, sed in Africa potius confectam esse a Christiano quodam, qui latinum sermonem mediocriter tantum calluerit. Græcus vero textus in hisce fragmentis expressus haud ita raro reperitur ei similis, quem continet codex Vaticanus, nullo fere emendationum Origenianarum respectu habito; erat enim editio κοινὴ, ipsa lapsu temporum valde vitiata, quam latini interpretes sequebantur. Nonnunquam tamen fragmenta nostra lectiones habent codicis Alexandrini; nonnunquam ab utroque recedunt. Fragmenta vero Danielis, ex Theodotiana versione latine reddita sunt, exceptis versibus capitis III. 32-50, partem continentibus additamenti ex Septuagintavirali quam primus e codice Chisiano Romæ 1771 edidit Simeon de Magistris, hujus Prophetæ versione hausti. Cujus quidem cum græcis textibus, et consensus et dissensus in notulis subjunctis dabimus exempla; missis tamen plerisque, quæ levioris momenti videntur.

Hæc igitur præfati ad ipsa fragmenta lectoribus in conspectum danda accedimus; ea quidem ratione, ut, quæcunque a Sabaterio edita jam fuit, infra textum Codicis Wirceburgensis posita inveniantur: ubi vero nulla Sabaterianæ editionis fit mentio, lectores sciant hactenus desideratam fuisse istorum S. S. locorum versionem antiquam latinam. De dissensu vero harum versionum ipsi judicabunt.

---

76) Aug. ad Hieron. Epist. 7. Edit. Maur. Tom. II. p. 122.

77) Augustin. de Doctr. Christiana II. c. 15. p. 22. Tomo III. Maurin.

CODEX WIRCEBVRGENSIS.

Jeremiæ Cap. XIV.

v. 20. ......(*quia peccavimus*) [78]) coram te.

21. (*Ne des nos in opprobrium*) propter nomen tuum; (*ne*) perdas nomen [79]) honoris tui! Memor esto: noli dissipare testamentum, quod est nobiscum. [80])

22. Nunquid est in idolis gentium qui pluat? Et si coelum dabit rorem suum. [81]) nonne tu es ipse? Et sustinemus te, [82]) quia tu fecisti omnia hæc.

Cap. XV.

v. 1. Et dixit Dominus ad me: etsi......

2. ....que in mortem, in mortem: et quodquod in gladium, in gladium: et quodquod in famem, in famem: et quodquod in captivitatem, in captivitatem.

3. Et vindicabo in eos quatuor figuras, dicit Dominus: gladium in occisione, et canes in lacerationem, et bestias terræ, et volatilia coeli in escam, et in exterminationem.

Cap. XVI.

v. 14. .....Israhel a terra Ægypto.

15. Sed vivit Dominus, qui eduxit filios Izrahel de terra aquilonis, et ab omni regione, qua expulsi sunt ibi; et constituam eos in terra eorum, quam dedi patribus illorum.

VERSIO ANTIQVA APVD SABATERIVM.

Cap. XIV.

v. 22. Numquid est in idolis gentium, qui pluat? aut coeli dabunt pluviam, nisi tu volueris?....

---

78) Hæc et reliqua omnia uncinis inclusa in codice non leguntur; addita vero sunt ex Vulgata in apographo Federiano.

79) μὴ ἀπολέσῃς θρόνον δόξης σου. LXX. 80) LXX.: μὴ διασκεδάσῃς τὴν διαθήκην μου μεθ' ἡμῶν.

81) Πλησμονὴν αὐτοῦ. 82) *Cod. Vat.* add. κύριε.

CODEX WIRCEBVRGENSIS.

v. 16. Ecce dismitto piſcatores multos, dicit Dominus,[83]) et piſcabuntur illos, et
poſt hoc dimittam primo venatores,[84]) et capient eos......

17. .....eorum de conſpectu oculorum meorum;

18. et reddam dupliciter peccatis eorum, in his quib(*us*) violaverunt mortuinis
abominationibus ſuis,[85]) et iniquitatibus eorum, in quibus repleverunt hære-
ditatem meam.

19. Domine virtus mea et adjutorium meum......

Cap. XVIII.

v. 23. .....ſcis univerſam cogitationem eorum in me in mortem. Non feceris in me
innocas:[86]) iniquitates illorum[87]) et peccata eorum a facie tua ne deleas.
Fiat infirmitas eorum ante te in tempore iræ tuæ, et fice[88]) in illis.[89])

Cap. XIX.

v. 1. Hinc dicit Dominus ad me: Vade et compara doliolum tacium[90]) fictilem, et
adduces majoribus natu et ab ſenioribus[91]) et ad ſacerdotes,

2. et exies in multitudinem virorum, et filios filiorum meorum, quæ eſt ante ja-
nuas portarum Charſit, et lege ibi omnia vera,[92]) quæ loquar ad te, et dices:

3. Audite verbum Domini, reges Juda, et qui commorantur in Jeruſalem![93])
Hæc dicit Dominus domus Israhel:[94]) Ecce ego induco in locum iſtum mala,
ut omnis audiens ea tinniant aures ejus.

VERSIO ANTIQVA APVD SABATERIVM.

Cap. XVI.

v. 16. Ecce ego mittam piſcatores multos, et piſcabuntur illos.... et multos venato-
res, et venabuntur eos ſuper omnem montem, et ſuper omnem collem....

19. Domine fortitudo mea & adjutorium meum.

---

[83]) *λέγει κύριος.* LXX. [84]) *τοὺς πολλοὺς θηρευτάς.* LXX.

[85]) *ἐφ' αἷς ἐβεβήλωσαν τὴν γῆν μου ἐν τοῖς θνησιμαίοις τῶν βδελυγμάτων αὐτῶν.* LXX.

[86]) *μὴ ἀθῳώσῃς τὰς ἀδικίας αὐτῶν.* LXX. [87]) *Cod. Alex. τῶν πατέρων αὐτῶν.* [88]) fac.

[89]) extant tantum verba: in tempore furoris tui fac in eis. ap. Hieronymum in Jerem. *Sabat.* Tomo II. p. 678. [90]) teſtaceum. [91]) *ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων τοῦ λαοῦ σου.*

[92]) corrige: *verba.* [93]) deſunt: *καὶ οἱ εἰσπορευόμενοι ἐν ταῖς πύλαις ταύταις.*

[94]) *Κύριος ὁ θεὸς Ἰσραήλ.* LXX.

CODEX WIRCEBVRGENSIS.

v. 4. Propterea quod dereliquerunt me, et abalienaverunt locum iſtum, et facrifi-
caverunt in eo deis alienis, quos in totum non noverant ipſi et patres eorum;
et reges Juda repleruut locum iſtum ſanguine innocentum:
5. Et ædificaverunt excelſa Bahal, ut comburerent filios ſuos in igne; [95]) quæ ne-
que mandavi, neque cogitavi in corde meo. [96])
6. [97]) Propter hoc, ecce dies.....

Cap. XXIII.

v. 21. (*Non mit*)tebam prophetas: et ipſi accurrebant; nec locutus ſum ad eos; et
ipſi prophetabant.
22. Et ſi adſtetisſent in ſubſtantia mea, et ſi audisſent verborum meorum, et ſi
docuisſent plebem, et convertisſent eos a malignis cogitationibus eorum. [98])
23. Deus adpropinquans ego ſum, dicit Dominus, et non Deus de longe. [99])
24. Quid ſi abſcondat ſe homo in abdito: et ego non videbo eum? [100]) Nonne
coelum et terram impleo? dicit Dominus.
25. Audivi, quæ loquuntur prophetæ; quæ prophetant in nomine meo falſa, di-
centes: ſomniavimus ſomnum.

VERSIO ANTIQVA APVD SABATERIVM.

Cap. XXIII.

v. 21. Non illos mittebam; et illi ibant in nomine meo prophetare. Non locutus
ſum ad eos, & ipſi prophetaverunt.
22. Si ſtetisſent in ſubſtantia mea, et audisſent verba mea, et ſi docuisſent popu-
lum meum, convertisſem eos a malis cogitationibus eorum.
23. Ego Deus approximans & non Deus de longinquo.
24. Si abſconditus fuerit homo in abſconditis: ergo ego non videbo eum? Nonne
coelum et terram ego impleo? dicit Dominus.
25. ....vidi ſomnium.

---

[95]) ut *Vatican.* qui omittit ὁλοκαυτώματα τῷ Βάαλ. [96]) ut *Vatic.* qui omittit οὐδὲ ἐλάλησα.

[97]) Idcirco ecce dies veniunt. *Sabat.*

[98]) *καὶ τὸν λαόν μου ἂν ἀπέστρεφον αὐτοὺς ἀπὸ τῶν πονηρῶν ἐπιτηδευμάτων αὐτῶν.* *Cod. Vat.*

[99]) Lectionem *de longe* quam Cod. Wirceb. recipit, habent Hilarius et Hieronymus, in notis a Sabaterio II. p. 685. citati.

[100]) Omittit φησὶ κύριος ut *Vatic.*

CODEX WIRCEBVRGENSIS.

v. 26. Quamdiu erunt in corde prophetarum falsa, dum prophetant voluntates cor-
dis sui?
27. Qui cogitant oblivifcantur legis meæ per fomnia fua, quæ enarrant unusquis-
que proximo fuo, ficut majores eorum nominis mei in Bahal.
28. Propheta, in quo fomnium eft, narret fomnium fuum, et inquo eft verbum
meum, in veritate. Quæ fimilitudo paleæ ad triticum?
29. Sic verba mea, dicit Dominus. Nonne verba, ut ignis, dicit Dominus, et
ficut fecuris concidens petram? [1])

Cap. XXXVI. [2])

v. 4. (*in volumine*) libri.
5. Et præcepit Jeremias Baruch, dicens: cuftodior; non posfum intrare domum
Domini,
6. ......et legere [3]) chartas iftas in aures plebis in domo Domini in die jejunii, et in
auribus omnium venientium de civitatibus fuis: et leges eis. [4])
7. Forfan cadet mifericordia eorum ante faciem Domini, et revertentur a via fua
maligna: quia magnus furor et ira, qua locutus eft Dominus fuper plebem
hanc.
8. Et fecit Baruch fecundum omnia quæ præcepit.....
9. ....ante faciem Domini omnis plebs quæ erat in Jerufalem et in domo Juda.
10. Et legebat Baruch in libro verba Jeremiæ in domo Domini in domo Camariæ
filii Saphan fcribæ, in prefepio [5]) fuperiori in introitu portarum domus Do-
mini in aures plebis.

VERSIO ANTIQVA APVD SABATERIVM.

Cap. XXIII.

v. 26. ....et prophetantium voluntates cordis fui.
27. Qui cogitant facere....
28. ......Quid eft paleis ad triticum?
29. Nonne verba mea ficut ignis, dicit Dominus, et ficut fecuris concidens petram?

---

[1]) *οὐκ ἰδοὺ οἱ λόγοι μου, ὥσπερ πῦρ Cod. Vat. Alex.* habet *φλέγον πῦρ.*

[2]) in Verfione Græca Cap. XXXXIII. [3]) *καὶ ἀναγνώσῃ.* LXX.

[4]) *παντὸς Ἰούδα,* vel *τοῦ λαοῦ Ἰούδα.* LXX.

[5]) in codice: *in profepio. ἐν τῇ αὐλῇ τῇ ἐπάνω ἐν προθύροις πύλης τοῦ οἴκου κυρίου τῆς καινῆς. Vatic.*

CODEX WIRCEBVRGENSIS.

v. 11. Et audivit Camarias filius Saphan verba Domini de libro: [6])
12. et descendit in domum Regis in domum scribæ.

Cap. XXXVIII. [7])

v. 23. .....comburetur.
24. Et dixit rex: nesciat homo ex verbis istis, et non morieris.
25. Si audierint principes, quia locutus es; [8]) qui si venerint ad te, et dixerint tibi: indica nobis, quid locutus est rex? [9])
26. Et dices illis: projicio ego misericordiam meam ante oculos regis, nec convertat me in domum Jonathæ et moriar ibi.
27. Et convenerunt omnes principes ad Jeremiam, et interrogaverunt eum: et indicavit eis per omnia verba hæc, quæ præceperat ei Rex, et tacuerunt, quia non est auditum verbum Domini.
28. Et sedit Jeremias in prosæpio carceris usque ad tempus, quo comprehendetur Hierusalem. [10])

Cap. XXXIX. [11])

v. 3. Et introierunt omnes potestates regis Babylonis et sederunt porta media: Acharnasar [12]) .....regis Babylonis....

exciderunt duæ lineæ; sequitur vero post has:

14. [13]) Et miserunt Jeremiam de carcerem, et dederunt eum ad Godoliam filium Achiican filium Saphan [14]) et ejecerunt eum in Safret. [15])..........

Cap. XLI. [16])

v. 1. (*venit Ismahel filius Nathaniæ*) filii Elisa, de genere regis, et decem viri cum eo venerunt ad Galadian [17]) in Massepha; et manducaverunt viri panem simul.

---

6) Καὶ ἤκουσε Μιχαίας υἱὸς Γαμαρίου υἱοῦ Σαφὰν πάντας τοὺς λόγους κυρίου ἐκ τοῦ βιβλίου.

7) Græc. cap. XLV. 8) Gr. ὅτι ἐλάλησάς σοι.

9) Omittit Codex sequentia: μὴ κρύψῃς ἀφ ἡμῶν, καὶ ου μὴ ἀνέλωμέν σε. Καὶ τί ἐλάλησε πρὸς σὲ ὁ βασιλεύς. 10) Ἱερουσαλήμ Cod. *Vatic.* Ἱερουσαλὴμ ἡ πολις. *Alexandr.*

11) Gr. Cap. XLVI. 12) Gr. Νηργελσὰρ. *Vatic.* Μαρναναςὰρ.

13) Versus a 4 ad 13 absunt quoque a Græco Vaticano.

14) in codice nomina valde corrupta sunt; legitur enim *Madgodo*, et *Physaphan;* quæ tamen facile corriges.

15) Καὶ ἀπέστειλαν καὶ ἔλαβον τὸν Ἱερεμίαν ἐξ αὐλῆς τῆς φυλακῆς... in clausula habet Cod. *Vaticanus* καὶ ἐκάθισεν ἐν μέσῳ τοῦ λαοῦ; omittit vero καὶ ἐξήγαγον αὐτον εἰς Ιαφίθ.

16) In Græcis Cap. XLVIII. 17) πρὸς Γοδολίαν.

CODEX WIRCEBVRGENSIS.

v. 2. Et ſurrexit Ismaël et decem viri, qui erant cum eo, et percuſſerunt Galadia, quem conſtituerat rex Babylonis ſuper terram.

3. Et omnes Judaeos, qui erant cum eo in Masſepha, et omnes Chaldæos, qui inventi ſunt ibi.

4. Et factum eſt alia die, percuſſo Galadia, et homo neſcivit.

5. Et venerunt viri..... Sychen, a Salem, et a Samaria LXXX. viri raſi barba, et ſciſsis veſtimentis plangentes, et manna et thus ferebant in manibus ſuis, ut ferrent ad domum Domini.

6. Et exierunt in occurſum eis, [18]) et euntes flebant, et dicebant: [19]) introite ad Galadia.

7. Et factum eſt introeuntibus eis in media civitate, occidit eos in puteo.

8. Et decem viri inventi ſunt ibi, et dixerunt Ismahel: noli nos interficere; quia ſunt theſauri nobis in agro, frumentum et hordeum et mel et oleum. Et [20]) non interfecit eos in medio fratrum eorum.

9. Et puteus, in quo projecerat Ismael omnes........

Ezechiel Cap. XL.

v. 16. ....(*hinc*) et inde.

17. Et induxit me in atrium interius: et ecce paſtoforia in columnata atrii: XXX Paſtoforia [21]) in columnatis.

18. Et porticus in dorſo portarum ſecundum menſuram columnarum quod ſuptus.

19. Et menſus latitudinem atrii ab eo quod ſub aere eſt portæ, quæ foras reſpicit, cubita centum, & induxit me ad aquilonem.

VERSIO ANTIQVA APVD SABATERIVM.

Ezech. XL.

v. 16. Et ſuper ælam palmæ hinc et inde.

17. Et introduxit me in atrium interius: et ecce thalami, et intercolumnia atrii per circuitum; triginta thalami per columnas.

18. Et porticus poſt januas, in longitudinem januarum ante columnas inferius.

19. Et menſus eſt latitudinem atrii ab eo loco, qui erat ſub divo portæ exterioris, usque ad interius, ſub divo portæ interioris, quæ reſpiciebat exteriora, cubitos centum, et vergebat ad orientem: et introduxit me ad aquilonem.

---

[18]) *Καὶ ἐξῆλθεν εἰς ἀπάντησιν αὐτοῖς Ἰσμαήλ.* LXX. [19]) *καὶ εἶπεν αὐτοῖς.* LXX.
[20]) Omittit verſio Græcum *καὶ παρῆλθε.* [21]) *Παςοφόρια.* *Cod. Vat.*

CODEX WIRCEBVRGENSIS.

v. 20. *Exciderunt lineæ 5.*

21. ......tres hinc et tres inde et then et aelamut [22]), & palmæ ejus faciæ funt fecundum menfuram portæ, quæ refpicit ad orientem: cubitorum L. longitudo ejus, & cubitorum XXV. latitudo ejus.

22. Et aela & palmæ ejus ficut porta [23]), quæ refpicit ad orientem, in feptem fcalis afcendebant in ea fecundum aelam interius.

23. Et porta atrio interiori refpiciens in porta aquilonis, quemadmodum portæ refpicientis ad orientem: & menfus eft atrium a porta in portam, cubita centum.

24. [24]) Et menfus eft eam, et the et aelen, et aelamut fecundum menfuras has.

25. Et feneftræ ejus et aelammot in circuitu ficut fenes........

Cap. XLV.

v. 1. ....latitudinem XX milia; fanctum erit in omnibus finibus ejus per circuitum.

2. Eritque ex hoc in fanctificationem quingenta per quingenta, quadratum in circuitu & cubita L. intervallum in gyro.

3. Ex hac menfuratione longitudo V et XX mil. & latitudo XX mil. In ipfa erit fançta fanctorum.

VERSIO ANTIQVA APVD SABATERIVM.

Cap. XL.

v. 21. Et thee ejus tres hinc, et tres inde: et elan et elamoth, et palmas ejus: et factum eft fecundum menfuram portæ, quæ refpicit orientem, quinquaginta cubitorum longitudo ejus, et latitudo ejus viginti quinque cubitorum.

22. Et feneftræ ejus et elamoth, et palmæ ejus ficut in porta, quæ refpiciebat orientem: et in gradibus feptem afcendebatur ad eam, et elamoth intrinfecus.

23. Et porta atrii interioris refpiciens ad portam aquilonis, ficut porta quæ refpicit ad orientem: et menfus eft atrium a porta usque ad portam centum cubitorum................

3. ....et in ipfo erit fanctificatio.........

---

[22]) Καὶ τὸ θεὲ τρεῖς ἔνθεν, καὶ τρεῖς ἔνθεν, καὶ τὸ αἰλὰμ καὶ τὰ αἰλαμμών. *Cod. Vat.* καὶ τὰ αἰλαυ. *Alex.*

[23]) Καὶ αἱ θυρίδες αὐτῆς, καὶ τὰ αἰλαμμων. LXX.

[24]) Defunt verba a quibus incipit verfus 24. Καὶ ἤγαγέ με κατὰ νότον, καὶ ἰδοὺ πύλη βλέπουσα πρὸς νότον.

CODEX WIRCEBVRGENSIS.

v. 4. Terra erit ſacerdotibus [25]) in ſancto appropinquantibus miniſtrare Domino. Erat illis locus ſegregatus in domo ſanctificationis eorum.

5. XX et V milia longitudo, & latitudo XX milia, & levitis miniſtrantibus Domini.[26])

6. Ipſi in posſesſionem dabis V milia longitudinem, & latitudinem V et XX milia, quemadmodum delibatio ſanctorum omni domui Israhel erunt.

7. Et principi ex hoc, in delibationes ſanctorum, in posſesſionem civitatis, quæ ſunt à mare ad orientem. Longitudinem ſicut una particularum ad finibus qui ſunt ad mare, & longitudine qui ſunt ad orientem; & longitudo ad fines orientis terræ. [27])

8. Et erit posſesſio in Israhel, et depriment [28]) amplius duces Israhel, & terram posſidebunt domus Israhel.

Cap. XLVI.

v. 1. ......(*porta*) quæ reſpicit ad orientem, clauſa eſt ſex diebus, quibus opus ſit. In die autem ſabbati aperietur. [29])

2. Et intrabit princeps ſecundum viam aelam portæ interioris, [30]) et ſtabit in veſtibulo portæ: & facient ſacerdotes holocauta ſua et quæ ſunt ſalutaris, & adorabit in veſtibulo portæ. Exivit & porta non cludetur [31]) usque vesperam.

VERSIO ANTIQVA APVD SABATERIVM.

Cap. XLV.

v. 6. Et posſesſionem civitatis dabitis quinque millibus latitudinis, et longitudinis viginti quinque millibus........

Cap. XLVI.

v. 1. Hæc dicit Dominus Deus: porta atrii interioris, quæ reſpicit ad orientem, erit clauſa ſex diebus, in quibus opus ſit: die autem ſabbati aperietur; ſed et in die calendarum aperietur.

---

[25]) ἀπὸ τῆς γῆς ἔσται τοῖς ἱερεῦσι &c. LXX.

[26]) Deſunt in codice ultima verba αὐτοῖς εἰς κατάσχεσιν πόλεις τοῦ κατοικεῖν, quæ tamen verſio antiqua apud Sabaterium habet: ipſi tenebunt civitatem, ut habitent.

[27]) Valde differt a græcis: deſunt enim in medio verſu verba: κατὰ πρόσωπον τῶν ἀπαρχῶν τῶν ἁγίων, καὶ κατὰ πρόσωπον τῆς κατασχέσεως τῆς πόλεως τὰ πρὸς θάλασσαν.

[28]) Καὶ οὐ καταδυναστεύσουσι οὐκέτι οἱ ἀφηγούμενοι τοῦ Ἰσραήλ. Deeſt igitur *Non* in verſione, proculdubio ex oſcitantia ſcribæ. [29]) Deſunt verba: καὶ ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς νουμηνίας ἀνοιχθήσεται.

[30]) ut *Vatic.* τῆς πύλης τῆς ἔσωθεν. *Alex.* habet ἔξωθεν, asſentiente textu hebræo.

[31]) Corrige: *Exibit* et *claudetur*, ſic etiam *advocabit* verſu ſequ. et *intrabit* v. 8.

CODEX WIRCEBVRGENSIS.

v. 3. Et adoravit populus [22]) fecus veftibula portæ illius, [23]) et in fabbatis et in neomeniis ante Dominum.

4. Et holocauta offeret princeps Domino in die fabbatorum: fex agnos fine macula & arietem immaculatum.

5. Et manna, cocturam arietis & agnis facrificium, datum manus ejus, et olei in coctura; [24])

6. Et in die neomeniæ vitulum fine macula, et fex agnos et arietes fine macula.

7. Erit ei coctura arieti, & coctura vitulo erit manna, et agnis, prout expedierit manus ejus, & olei in cocturæ.

8. Et cum intrabit [25]) fecundum viam aelam portæ intravit, et fecundum viam ejus, exibit.

9. Et cum intrabit populus terræ ante Dominum in diebus folemnibus, fecundum viam portæ.........

Cap. XLVIII.

v. 28. ....mare magnum.

29. Hæc terra, quem mittetis in fortem tribubus Israhel, & hæ diftributiones earum, dicit Dominus Deus.

30. Et hæ emisfiones circuitatis [26]) quæ ad aquilonem, quingenti et quatuor millia menfuræ.

VERSIO ANTIQVA APVD SABATERIVM.

Cap. XLVI.

v. 4. Holocauftum autem hoc offeret dux Domino: in die fabbati fex agnos immaculatos, & arietem immaculatum.

5. Et manna, coctionem per arietem: agnis autem facrificium quod dederit manus ejus, et olei hin coctioni.

Cap. XLVIII.

v. 28. ....Et erit finis de Theman, et aqua Marimoth Cades, hæreditas usque ad mare magnum.

---

[22]) ὁ λάος τῆς γῆς. LXX. [23]) κατὰ τὰ πρόθυρα τῆς πύλης εκείνης.

[24]) Καὶ ἐλαίου τὸ ἲίν τῳ πέμματι. Haud intellexit interpres hoc verfu et v. 7. verbum *hin*, quod habet verfio antiqua apud Sabaterium. p. 347. [25]) omittit τὸν ἀφηγούμενον.

[26]) omittit τῆς πόλεως.

CODEX WIRCEBVRGENSIS.

v. 31. Et portæ civitatis in nominibus tribuum Israhel: portæ tres ad aquilonem; porta Ruben una, et porta Juda una, et porta Levi una.

32. Et quæ ad orientem quingenti & quatuor millia, et portæ tres. Porta Joseph una, et porta Benjamin una, et porta Dan una.

33. Et quæ ad austram quingenti et quatuor millia mensura, porte tres, porta Symeon................

Daniel Cap. III.

v. 15. ....(*Quis est Deus qui eripiet*) vos de manu mea?

16. Et responderunt Sedrac, Misac, Abdenago, dicentes regi Nabuchodonosor: Non necesse habemus nos de isto sermone [37]) respondere tibi.

17. Etenim Deus, cui nos servimus, [38]) potens est ad liberandum nos de fornace ignis ardente, et de tuis manibus, rex, eripere.

18. [39]) Notum igitur rex, tibi sit, quoniam deis tuis non servimus, et imaginem [40]) quam statuisti, non adoramus.

19. Tunc Nabuchodonosor, [41]) repletus est ira, et facies ejus mutata est ad Sedrac, Misac, Abdenago, et dixit, ut succenderetur furna a septies tanto, quam solebat. [42])

VERSIO ANTIQVA APVD SABATERIVM.

Daniel Cap. III.

v. 16. Responderunt autem Sidrac, Misac, et Abdenago, et dixerunt regi Nabuchodonosor: rex, non opus est nobis de hoc verbo respondere tibi.

17. Est enim Deus cui nos servimus, potens eripere nos de camino ignis ardentis, et de manibus tuis, rex, liberabit nos.

18. Et si non, notum sit tibi, quia diis tuis non servimus, et imaginem auream, quam statuisti, non adoramus.

---

37) ἐπὶ τῇ ἐπιταγῇ ταύτῃ. LXX. ex *codice Chisiano*. *Theodot.* περὶ τοῦ ῥήματος τούτου.

38) ἔστι γὰρ ὁ θεὸς ἡμῶν ἐν οὐρανοῖς ᾧ ἡμεῖς λατρεύομεν δύνατος. *Theodotion.* Ἔστι γὰρ θεὸς ἐν οὐρανοῖς εἷς κύριος LXX. additis tamen notis criticis Origenianis post θεὸς.

39) Καὶ ἐὰν μή, quod in versione Sabateriana legitur, omittitur in textu LXX-virali.

40) add. LXX. τῇ χρυσῇ ut et *Cod. Alex.* 41) addit cod. *Theod. Alex.* ὁ βασιλεύς.

42) *Theod.* ἕως οὗ εἰς τέλος ἐκκαῇ. LXX. παρ᾽ ὃ ἔδει αὐτὴν καῆναι.

CODEX WIRCEBVRGENSIS.

v. 20. Et viris fortibus dixit,[43]) uti alligarent Sedrac, Miſac et Abdenago, et mitterent in fornacem ignis ardentem.[44])

21. Tunc viri illi, pedibus alligati ſunt cum ſarabaris ſuis[45]) et pileis et bracis, et miſſi ſunt in medium fornacem ignis ardentis.

22. Quoniam ſermo regis prævaluit, et fornax ſuccenſus eſt plus quam oportet.[46])

23. Et tres hi, Sedrac, Miſac, Abdenago, ceciderunt in medio fornacis alligati, et ambulabant in medio........[47])

32. ....(*ſuper uni*) verſam terram.[48])

33. Et nunc non eſt, ut poſſimus aperire os: verecundia et turpitudo facta eſt ſervis tuis, qui te colunt.

34. Ne tradideris nos in perpetuum, Domine,[49]) et ne diſperſeris teſtamentum tuum.

VERSIO ANTIQVA APVD SABATERIVM.

v. 32. ....præ omni terra.

33. Et nunc non eſt nobis aperire os; confuſio et exprobratio facta eſt ſervis tuis et colentibus te.

34. Et ne tradas nos in finem propter nomen tuum, et ne deſtruas teſtamentum tuum.

---

43) LXX. *Theod.* καὶ ἄνδρας ἰσχυροὺς ἰσχύϊ εἶπε. LXX. καὶ ἄνδρας ἰσχυροτάτους τῶν ἐν τῇ δυνάμει ἐπέταξε.

44) LXX. ἔχοντες τὰ ὑποδήματα αὐτῶν.

45) LXX. habet tantum ἔχοντες τὰ ὑποδήματα αὐτῶν καὶ τὰς τιάρας αὐτῶν. *Theodotion:* σὺν τοῖς σαραβάροις αὐτῶν καὶ τιάραις καὶ περικνημῖσι. Sarabaras quoque habet *Aquila. Symmachus* σὺν ταῖς ἀναξυρίσιν αὐτῶν. de voce, quæ perſicæ eſt originis, et apud ſcriptores eccleſiaſticos, *Tertullianum* (de pallio c. 4, de reſurrectione c. 58. ubi noſter locus citatur) et *Hieronymum* (ep. ad Innocent. de muliere ſepties icta) occurrit, vide *Relandi* Diſſertat. VIII. de vet. lingua perſica. in diſſertatt. P. II. p. 228.

46) omittit verſio latina quæ ſequuntur in *cod. Chiſiano:* Καὶ οἱ ἄνδρες οἱ προχειρισθέντες, συμποδίσαντες αὐτοὺς καὶ προσαγαγόντες τῇ καμίνῳ ἐνεβάλοσαν εἰς αὐτήν: ut et ſequentia: Τοὺς μὲν οὖν ἄνδρας τοὺς συμποδίσαντας τοὺς περὶ τὸν Ἀζαρίαν ἐξελθοῦσα ἡ φλὸξ ἐκ τῆς καμίνου, ἐνεπύρισε καὶ ἀπέκτεινεν, αὐτοὶ δὲ συνετηρήθησαν: quorum ſimilia habet *Cod. Alexandr.*

47) deſunt hæc in verſione LXX. virali: leguntur vero in *Theodot.*

48) παρὰ πᾶσαν τὴν γῆν. LXX, ut in Sabaterianis.

49) omittit διὰ τὸ ὄνομά σου.

CODEX WIRCEBVRGENSIS.

v. 35. Et ne abstuleris misericordiam tuam a nobis propter Abraham qui a te dilectus est, et propter Isac servum tuum, [50] et Israhel sanctum tuum.

36. Quibus locutus est, [51] multiplicaturus semen eorum, ut stellas coeli, et ut arenam maris, quæ est............

37. ....(*imminuti sumus plus quam*) omnes nationes, et sumus humiles in terra hodie propter peccata. [52]

38. Et non est in hoc tempore princeps, et profeta, et dux, non holocautomata, neque sacrificia, neque supplicationes, [53] neque locus ad sacrificandum in conspectu tuo;

39. Et invenire misericordiam tuam: sed in animo [54] et spiritu humiliato accipiamur.

40. Sicut in holocautomatibus arietum et taurorum et a multitudine agnorum [55].... (*subsequen*)tes te, quoniam non erit turpitudo iis qui in te confidunt.

VERSIO ANTIQVA APVD SABATERIVM.

v. 35. Et ne avertas misericordiam tuam a nobis, propter Abraham dilectum tuum, et Isaac servum tuum, et Israel sanctum tuum.

36. Quibus locutus es, adimplere semen eorum quasi stellas coeli, et quasi arenam maris, quæ ad oram maris est.

37. Quoniam, Domine, minorati sumus præ omnibus gentibus, et sumus humiles in omni terra propter iniquitates nostras.

38. Et non est in tempore hoc princeps et propheta et dux, neque holocautomata, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensus, nec locus ad sacrificandum in conspectu tuo;

39. Et invenire misericordiam. Sed in anima contribulata et spiritu humiliationis accipimus nos.

40. Quasi in holocausto arietum et taurorum, et multitudine agnorum pinguium sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, et perficere subsequentes te: quoniam non est confusio confidenti in te.

---

[50] hæc verba in codice a recentiori manu suppleta sunt.

[51] οἷς ἐλάλησας πρὸς αὐτοὺς λέγων. LXX.

[52] Καὶ ἐσμὲν ταπεινοὶ ἐν πάσῃ τῇ γῇ σήμερον διὰ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν. LXX.

[53] οὐδὲ προσφορὰ οὐδὲ θυμίαμα LXX. [54] ἀλλ' ἐν ψυχῇ συντετριμμένῃ.

[55] Omittit καὶ τελειῶσαι ὄπισθέν σου, ab Origene notata.

CODEX WIRCEBVRGENSIS.

v. 41. Et nunc sxfequimur in toto corde, et timemus te, et quærimus faciem tuam.
42. Ne confundas nos; fed fac nobis cum [86]) fecundum tranquillitatem tuam, et fecundum multitudinem mifericordiæ tuæ.
43. Et libera nos fecundum mirabilia tua, et da gloriam nomini tuo, Domine.
44. Et vereantur omnes qui oftendunt fervis tuis mala, et confundantur ab omni potentia, et virtus eorum conteratur.
45. Sciant, quia tu es Dominus Deus, folus et gloriofus in univerfo orbe terræ.
46. Et non cesfaverunt qui miferunt eos miniftri regis, incendentes fornacem nafta, et picem, et ftupa, et farmenta. [87])
47. Et diffundebatur flamma fuper fornacem decubita XL et VIIII.
48. Et circumibit [88]) et incendit quos invenit circa furnacem Chaldæorum.
49. Angelus autem [89]) fimul defcendit cum his, qui erant cum Azaria in furnacem, et discusfit flammam ignis de furnace;
50. Et fecit medium..........

VERSIO ANTIQVA APVD SABATERIVM.

v. 41. Et nunc exfequimur in toto corde, et timemus te, et inquirimus faciem tuam.
42. Ne confundas nos: fed fac nobifcum fecundum majeftatem tuam, et fecundum multitudinem miferationum tuarum.
43. Et libera nos fecundum mirabilia tua, et da gloriam nomini tuo.
44. Et confundantur omnes qui oftendunt fervis tuis mala; et confundantur ab omni potentia, et virtutes eorum conterantur.
45. Et cognofcant, quoniam tu Dominus Deus folus, et gloriofus in omni orbe terrarum.

Reliqua defunt.

---

[86]) Omittit ἔλεος, Origeni quoque fufpectum.

[87]) Longe brevior eft verfio noftra textu LXX. virali: καὶ οὐ διέλιπον οἱ ἐμβάλλοντες αὐτοὺς ὑπηρέται τοῦ βασιλέως, καίοντες τὴν κάμινον. Καὶ ἡνίκα ἐνεβάλοσαν τοὺς τρεῖς εἰσάπαξ εἰς τὴν κάμινον, καὶ ἡ κάμινος ἦν διάπυρος κατὰ τὴν θερμασίαν αὐτῆς ἑπταπλασίως· καὶ ὅτε αὐτοὺς ἐνεβάλοσαν, οἱ μὲν ἐμβάλλοντες αὐτοὺς ἦσαν ὑπεράνω αὐτῶν, οἱ δὲ ὑπέκαιον ὑποκάτωθεν αὐτῶν νάφθαν καὶ στυπίον, καὶ πίσσαν, καὶ κληματίδα.

[88]) lege circumivit. [89]) add. LXX. τοῦ κυρίου.

CODEX WIRCEBVRGENSIS.

Cap. VIII.

v. 5. ....Et hirco illi cornu in medio oculorum.[60])

6. Et venit usque ad arietem, qui habebat cornua, quem vidi ſtantem in conſpectu Ubal,[61]) et accurrit ad eum in impetu virtutis ſuæ.

7. Et vidi eum prævenire usque ad arietem; et exaſperatus eſt adverſus eum, et percusſit arietem et contribulavit utraque cornua ejus; et non erat virtus in ariete, ut ſtaret adverſus eum: et projecit eum in terram, et conculcabat eum, et non erat qui liberaret arietem de manu ejus.[62])

8. Et hircus caprarum magnificatus eſt vehementer;[63]) et cum prævaleret, contritum eſt cornu majus, et aſcenderunt quattuor cornua ſubtus[64]) id cornum in quattuor ventos coeli.

9. Et de uno eorum exivit cornum in virtute, & magnificatum eſt[65]) vehementer ad notum et ad potentiam.

10. Magnificatus eſt usque ad potentiam coeli et cecidit in terra a potentia aſtrorum & conculcavit ea.[66])

11. Quoad dux militum liberaret captivitatem; et propter eum ſacrificium conturbatum eſt, et factum eſt proſpere ei, et ſanctum deſolabitur.[67])

12. Et datum.........

---

60) *καὶ ἦν τοῦ τράγου κέρας ἐν θεωρητὸν ἀναμέσον τῶν ὀφθαλμῶν αυτῶν.* LXX. notatur tamen ab Origine cum *θεωρητὸν*, tum *αὐτῶν*. pro quo *Theodotion* habet *αὐτοῦ*.

61) ſic *Theodot.* *ἐνώπιον τοῦ Οὐβὰλ*. ut Hebr. LXX. *πρὸς τῇ πύλῃ*.

62) *Theod.* *ἐκ χειρὸς αὐτοῦ* ut Hebr. LXX. *ἀπὸ τοῦ τράγου*.

63) *Theod.* *ἐμεγαλύνετο σφοδρα*. LXX. *κατίσχυσε σφόδρα*.

64) *ὑποκάτω αὐτοῦ*. *Theod.* LXX. *κατοπίσθεν αὐτοῦ*.

65) *Theodot.* *καὶ εμεγαλύνετο περίσσως*. *Cod. Alex.* *πρὸς τὸν νότον καὶ πρὸς ἀνατολὴν καὶ πρὸς τὴν δύναμιν*. in Vaticano deſunt verba *καὶ πρὸς ἀνατολὴν*. LXX. vero: *καὶ κατίσχυσε, καὶ ἐπάταξεν ἐπὶ μεσημβρίαν, ἐπὶ νότον, καὶ ἐπ' ἀνατολὰς καὶ ἐπὶ βοῤῥᾶν*.

66) *Theodot.* *καὶ ἐμεγαλύνθη ἕως τῆς δυνάμεως τοῦ οὐρανοῦ. καὶ ἔπεσεν ἐπὶ τὴν γῆν ἀπὸ τῆς δυνάμεως τοῦ οὐρανοῦ, καὶ ἀπὸ τῶν ἄστρων, καὶ συνεπάτησαν αὐτά.* Omittit igitur unice *τοῦ οὐρανοῦ*. Lectionem breviorem eam quecum textu hebræo magis conſentaneam habent LXX. *Καὶ ὑψώθη ἕως τῶν ἀστέρων τοῦ οὐρανοῦ, καὶ ἐῤῥάχθη ἐπὶ τὴν γῆν ἀπὸ τῶν ἀστέρων, καὶ ἀπὸ αὐτῶν κατεπατήθη*: ultima vero verſionis noſtræ verba hebræum ותרמסם accuratius reddunt. ita quoque codices Theodotionis apud Origenem: *καὶ συνεπάτησεν αὐτά*.

67) *Theodot.* *καὶ ἕως οὗ ὁ ἀρχιστράτηγος ῥύσηται τὴν αἰχμαλωσίαν, καὶ δι' αὐτοῦ θυσία ἐταράχθη* (add. *Alex.* *καὶ ἐγενήθη*) *καὶ κατευωδώθη αὐτῷ, καὶ τὸ ἅγιον ἐρημωθήσεται.* Addunt vero LXX. poſt

CODEX WIRCEBVRGENSIS.

Cap. IX.

v. 2. ....(*Ego Daniel intellexi in libris numerum*) annorum, qui factus eſt ſermo
Domini [68]) ad Jeremiam Prophetam, in completionem deſolationis Hieruſa-
lem, ſeptuaginta anni. [69])
3. Et dedi faciem meam ad Dominum meum, [70]) ut quererem preces et obſecra-
tiones in jejunationibus et cilicio. [71])
4. Precatus ſum Dominum Deum meum [72]) et dixi: Domine Deus magnus et mi-
rabilis, [73]) qui ſervas teſtamentum tuum et miſericordiam diligentibus te, et
ſervantibus præcepta tua:
5. Peccavimus, fecimus injurias, nocuimus et declinavimus a præceptis tuis et a
judiciis tuis.
6. Et non exaudivimus ſervos tuos profetas, qui loquebantur [74]) ad reges no-
ſtros [75]) et ad omnes populos terræ.

VERSIO ANTIQVA APVD SABATERIVM.

Cap. IX.

v. 3. Et dedi faciem meam ad Dominum Deum, ut quærerem preces et obſecratio-
nes in jejunationibus et ſacco.
4. Et precatus ſum Dominum Deum meum, et confeſſus ſum, et dixi: Domine
Deus magne et mirabilis, et qui ſervas teſtamentum tuum et miſericordiam di-
ligentibus te, & ſervantibus præcepta tua.
5. Peccavimus, adverſus legem fecimus, impie egimus et receſſimus, et declina-
vimus a præceptis tuis, et a judiciis tuis.
6. Et non exaudivimus ſervos tuos prophetas, qui loquebantur in nomine tuo ad
reges noſtros, et ad omnem populum terræ.

αἰχμαλωσίαν: καὶ δι' αὐτὸν τὰ ὄρη τὰ ἀπ' αἰῶνος ἐῤῥάχθη, καὶ ἐξήρθη ὁ τόπος αὐτῶν, καὶ θυσία, καὶ ἔθηκεν αὐτὴν ἕως χαμαὶ ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ εὐωδώθησαν, καὶ ἐγενήθη, καὶ τὸ ἅγιον ἐρημωθήσεται.

68) ὃς ἐγενήθη λόγος κυρίου. *Theod.* ὅτε ἐγένετο πρόσταγμα τῇ γῇ LXX.

69) ita quoque *Theodot.* 70) Cod. *Vat.* πρὸς κύριον τὸν θεὸν. *Alex.* add. τοῦ οὐρανοῦ.

71) add. *Al.* καὶ σποδῷ quod deeſt in *Vatic.*

72) *Cod. Vat.* τὸν θεὸν μου, καὶ ἐξομολογησάμην καὶ εἶπα. 73) LXX. add. καὶ ὁ φοβερὸς.

74) add. *Theod.* ἐν τῷ ὀνόματί σου.

75) add. *Theod.* καὶ ἄρχοντας ἡμῶν, καὶ πατέρας ἡμῶν. LXX. καὶ δυνάστας ἡμῶν πατέρας ἡμῶν.

CODEX WIRCEBVRGENSIS.

v. 7. Tibi Domine, juſtitia: nobis autem & patribus noſtris confuſio faciei, ſicut dies hic viro Judæ et inhabitantibus Hieruſalem, et omni Israhel, qui proximi ſunt, et qui longe ſunt in omni terra, in qua eos disſeminaſti ibi, contumacia eorum, qua exprobaverunt tibi, Domine.

8. Nobis confuſio faciei, regibus noſtris et patribus noſtris, quo peccavimus. [76])

9. Tibi Domino Deo noſtro miſericordia, et propitiationes. [77])

10. Et non audivimus.......

Cap. X.

v. 16. (*Et ecce quaſi ſimilitudo filii hominis*) contigit labia mea et aperuit os meum; [78]) et locutus ſum, et dixi ad eum ſtantem contra me: Domine Domine, in viſu tuo converſa ſunt intus omnia in me, et non habui virtutem.

17. Et quemadmodum poterit puer tuus loqui, Domine, cum Domino meo hoc, et in me jam nunc non ſtabit virtus et flatus non relictus eſt in me.

18. Et amplius tetigit me, ut viſus hominis, et fortem me fecit.

19. Et dixit mihi: Noli metuere vir deſideriorum! Pax tibi ſit! Eſto vir fortis & convaleſce. Et cum loqueretur mecum, convalui, et dixi: loquatur Dominus meus, quoniam confortaſti me.

VERSIO ANTIQVA APVD SABATERIVM.

Cap. IX.

v. 7. Tibi, Domine juſtitia: nobis autem confuſio faciei, ſicut dies hic viro et habitantibus Jeruſalem, et omni Israel, qui proximi ſunt, et qui longe ſunt in omni terra, in qua eos disſeminaſti ibi; propter contumaciam eorum, quia improbaverunt te Domine.

8. Nobis autem confuſio faciei, regibus noſtris et principibus noſtris, et patribus noſtris, qui peccavimus.

9. Tibi Domino Deo noſtro miſerationes et propitiationes, quoniam receſſimus.

10. Et non audivimus vocem Domini Dei noſtri.

---

[76]) Deeſt initium verſus: Σοὶ κύριε ἡ δικαιοσύνη. *Vatic.* vero habet: ἐν σοὶ κύριε ἔςιν ἡμῶν ἡ δικαιοσύνη.

[77]) Deeſt ὅτι ἀπέςημεν (add. *cod. Al.* ἀπὸ κυρίου. LXX. ἀπὸ σοῦ.)

[78]) Theod. καὶ ἤνοιξα τὸ στόμα μου.

CODEX WIRCEBVRGENSIS.

v. 20. Et dixit: vis fcire, quare venerim ad te? Et nunc revertar, ut pugnem cum Principe Perfarum. [79]) Præcedebam, & Princeps Græcorum veniebat.

21. Sed nuncio tibi conftitutum in fcriptura veritatis; & non eft, qui adhæret mihi, nifi Michael Princeps vefter.

Cap. XI.

v. 1. Et factum eft in primo anno Cyri, conftiti in potentia et virtute...........

2. Nunc veritatem nuncio. [80]) Ecce adhuc tres reges asfurgent in Perfide, et quartus locuples erit magnis divitiis præter cæteros homines: et poftea quam potens fuerit factus in divitiis fuis, asfurget adverfus omnia regna Græcorum.

3. Et exfurget rex potisfimus, et dominabitur in dominatione, [81]) et fecundum voluntatem fuam.

4. Et cum fteterit regnum ejus, conteretur, et dividetur in quatuor ventos caeli: et neque in novisfima ejus, neque fecundum dominationem ejus, quam obtinuit; quoniam convertetur regnum ejus, et aliis extra hæc. [82])

5. Valebit rex noti: et unus principum ejus convalefcit ab his, [83]) et dominabitur dominatione magna.

6. Et poft annos ejus commiata [84]) erunt, et filia regis noti [85]) introibit ad regem aquilonem, ut faciat conventionem cum eo. Non optinebit virtutem brachii, [86]) et non ftabit femen ejus. Tradentur et qui fecerunt eam, [87]) et.......

---

[79]) *Cod. Vat.* μετὰ τοῦ ἄρχοντος Περσῶν. *Alex.* μετὰ ἀρχόντων Περσῶν. LXX. μετὰ τοῦ στρατηγοῦ βασιλέως τῶν Περσῶν.

[80]) add. *Theodot.* σοί.

[81]) addunt *Theodot.* et LXX. πολλῆς.

[82]) LXX. καὶ ἑτέρους διδάξει ταῦτα.

[83]) Cod. Al. καὶ ἐνισχύσει ἐπ' αὐτὸν εἷς τῶν ἀρχόντων αὐτοῦ. *Vat.* habet αὐτῶν. LXX. καὶ ἐνισχύσει βασιλείαν Αἰγύπτου.

[84]) Sic in apographo: an *commixta?* συμμιγήσονται. *Cod. Vat.* Καὶ εἰς συντέλειαν ἐνιαυτῶν ἄξει αὐτούς. LXX.

[85]) LXX. Αἰγύπτου.

[86]) *Theod.* οἱ φέροντες αὐτήν.

[87]) LXX. Καὶ οὐ μὴ κατισχύσει, ὅτι ὁ βραχίων αὐτοῦ οὐ στήσει ἰσχὺν, καὶ ὁ βραχίων αὐτοῦ ναρκήσει, καὶ τῶν συμπορευομένων μετ' αὐτοῦ, καὶ μενεῖ εἰς ὥρας.

CODEX WIRCEBVRGENSIS.

Oſeae Cap. II.

v. 8. ....*(vinum et oleum et argentum multi)* plicavi ei; ipſa autem argentea et aurea fecit huic Bahal.

9. Propter hoc convertam, et auferam triticum meum in tempore ſuo, et vinum meum et oleum [88]) meum in tempore ſuo; et auferam veſtimenta mea et lintiamina mea, ut non cooperiat turpitudinem ſuam.

10. Et nunc denudabo ſpurcitiam ejus in conſpectu amatorum ejus, et nemo eripiet eam de manu.

11. ....omnes jucunditates [89]) ejus, dies feſtos et neomenias et ſabbatha ejus et omnes mercatus ejus. [90])......

12. Et exterminabo vineam ejus, et ficeta ejus, quoniam dixit: merces hæ meæ ſunt, quas dederunt mihi amatores mei; et ponam eam in teſtimonium, et comedent eam beſtiæ agri, [91]) et repentia terræ.

VERSIO ANTIQVA APVD SABATERIVM.

Oſeae Cap. II.

v. 8. ......multiplicavi ei: hac autem argentea et aurea fecit ipſi Baal.

9. Propterea revertar, et tollam triticum meum in tempore ſuo, et vinum meum in tempore ſuo, et auferam veſtimenta mea & linteamina mea, ne operiant ignominiam ejus.

10. et nunc revelabo immunditias ejus in conſpectu amatorum illius, et nullus eruet eam de manu mea.

11. Et avertam omnes lætitias ejus, ſolennitates illius, et neomenias, et ſabbata, et cunctas feſtivitates illius.

12. Et diſperdam vineam ejus, et ficus illius: quæ dixit: mercedes meæ iſtæ ſunt, quas dederunt mihi amatores mei: et ponam eam in teſtimonium, et comedent eam beſtiæ agri, volatilia cæli et reptilia terræ.

---

88) deeſt ἔλαιον in Græcis.

89) eodem verbo utitur Tertullianus bis; adv. Marcionem. L. I. c. 20. et V. c. 4. ubi hunc Prophetæ locum citat. 90) deeſt r avertam.

91) omittit καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ, quæ in Hebræis haud leguntur: habet vero τὰ ἑρπετὰ τῆς γῆς, a Græcis addita.

CODEX WIRCEBVRGENSIS.

v. 13. Et ulcifcar fuper eam dies Bahalim, in quibus facrificaverunt ei, et imponebant fibi inaures fuàs et ornamenta fua.[92])…….

Cap. IV.

v. 13. …….(*mæcha*)tur.

14. Et non refpiciam fuper filias veftras, cum moecat,[93]) quia ipfi cum fornicariis commifcebantur, et cum proftitutis facrificabant, et populus, qui non intelligebat, commifcebatur cum fornicaria.

15. Tu autem Israhel, noli ignorare; et Juda, noli intrare in Galgala, et noli afcendere in domum Domini,[94]) et noli jurare per vivum Dominum Deum.

16. Quia ficut vacca abortans abortabit[95]) Israel: nunc pafcet eos Dominus, tanquam agnos in latiofo.

17. Particeps fimulacrorum Ephraim, pofuit fibi fcandala.

VERSIO ANTIQVA APVD SABATERIVM.

Cap. II.

v. 13. Et ulcifcar fuper eam dies Baalim, in quibus immolabat eis, et circumdabat fibi inaures fuas et monilia…….

Cap. IV.

v. 14. Et non vifitabo fuper filias veftras cum fuerint fornicatæ, et fuper fponfas veftras cum adulteraverint: quoniam ipfi cum meretricibus mifcebantur, & cum initiatis immolabant, et populus non intelligens adhærebat meretrici.

15. Tu autem Israel, ne ignores; et Juda, nolite ingredi in Galgala, ne afcendatis in domum On, et ne juretis: vivit Dominus.

16. Quoniam ficut vacca afilo percusfa infanivit Israel: nunc pafcet eos Dominus ficut agnum in fpatiofo.

17. Particeps idolorum Ephraim pofuit fibi fcandala.

---

92) *καὶ περιετίθετο τὰ ἐνώτια αὐτῆς, καὶ τὰ καθόρμια αὐτῆς.*

93) Omittit: *καὶ ἐπὶ τὰς νύμφας ὑμῶν ὅταν μοιχεύουσι.*

94) *Cod. Vatic. εἰς τὸν οἶκον Ὤν. Alex. τῆς ἀδικίας.*

95) Corrige: abortavit.

CODEX WIRCEBVRGENSIS.

v. 18. Ejecit Chananæos, propter quod fornicati sunt, [96]) et dilexerunt ignominiam ore fremitus ejus. [97])

19. Hæc conversio spiritus, tu es in pinnis ejus, et confundetur ex altaribus ejus.

Cap. V.

v. 1. Audite hæc sacerdotes, et attendat domus Israhel, et domus regis præbete aures; quia adversus vos judicium, quia muscipulum facti estis speluncæ in visitatione, [98]) et sicut retia extensa insta.......

VERSIO ANTIQVA APVD SABATERIVM.

Cap. IV.

v. 18. Provocavit Chananæos, fornicantes fornicati sunt; dilexerunt ignominiam ex fremitu ejus.

19. Turbo spiritus sibilabit in alis ejus; et confundentur ex altaribus suis.

Cap. V.

v. 1. Audite hæc sacerdotes, et attendite domus Israel, et domus regis auribus percipite; ad vos enim est judicium, quia laqueus facti estis speculationi, et sicut rete expansum super Itabyrium.

---

[96]) Πορνεύοντες ἐξεπόρνευσαν. LXX.

[97]) *Cod. Vat.* ἐκ φρυάγματος αὐτῆς. *Alex.* αὐτῶν.

[98]) ὅτι παγὶς ἐγενήθετε τῇ Σκοπιᾷ.

Hactenus fragmenta versionis Antehieronymianæ e perturbatis codicis Wirceburgensis foliis indefesso Rev. Federi studio et labore extricata. Plura forsan ex iisdem prodibunt, si quando vetustus ille Prophetarum textus qui sub recentiori scriptura latet, δευτέραις φροντίσιν tractabitur. Quod, quin brevi fiat in florentissima illa literarum Universitate, tot egregiorum ingeniorum alma matre, nulli dubitamus.

Sed a primordiis ecclesiæ Christianæ, quæ hæcce fragmenta, post XVII.' secula, ceu tabulæ, e naufragio tandem erepta, integra viderunt, revocamur ad nostra tempora et ad indicandam celebritatem, quæ huic Prolusioni scribendæ occasionem dedit. Cum enim mense Julio anni præteriti e vivis excesserit Reverendissimus Ecclesiæ Ripensis, antiquissimæ ut fertur in Dania, Episcopus VICTOR CHRISTIANVS HIORT, post Episcopatum per octo fere annos gestum, successor ejus ab Augustissimo Rege creatus est vir variæ exquisitæque doctrinæ et eloquentiæ laude cumulatus

STEPHANVS TETENS,

Philosophiæ Doctor, Dioeceseos Fioniensis Præpositus, et ad ædem Cathedralem S. Canuti Othenis Pastor primarius, Eques Danebrogicus, Soc. Reg. Scientiar. Nidrosiensis Sodalis, eruditi patris, qui ipse per multos annos Viburgensem Ecclesiam magna pietatis & doctrinæ fama rexerat, non degener filius: quam ob rem in hujus honorem succedenti tanto lætius gratulamur, quanto certius paternam gloriam æmulabitur. Et rariora quidem, haud tamen inaudita extant exempla Episcopatus a patre non solum, verum etiam a filio gesti: quorum nonnulla, cum e veteris Ecclesiæ, tum e coetuum Evangelicorum annalibus in medium proferre volupe est; quod et lectoribus gratum fore speramus. Memoriæ enim proditur ab Eusebio Cæsareensi *Domnum* Antiochiæ Episcopum *Demetriani* ejusdem Ecclesiæ Episcopi fuisse filium. Idem hoc constat de magni nominis illo Theologo *Gregorio*, qui vulgo Nazianzenus audit, Constantinopolitano Episcopo, bis vero patris cognominis, Nazianzeni Episcopi in administrando officio adjutore. Neque historiæ ecclesiasticæ peritos latet utriusque *Apollinaris*, patris et filii, Laodicenorum Episcoporum, nomen. Et in Danica nostra Ecclesia haudquaquam desiderantur Antistites patribus episcopis geniti, e quibus paucos tantum commemorare licebit. E nostris nimirum decessoribus unum; *Johannem* nimirum *Johannidis Resenium*, Patris *Johannis Pauli f.* alterum post *Brochmannum*, cujus nunquam intermoriturum est nomen, in sede Selandica successorem.

Præter hunc autem: *Jacobum Lodbergium*, Fionienſem, *Chriſtierni* Ripenſis filium; *Matthiam Ancherſenium*, *Ansgarii* filium, utrosque vero Ripenſes Epiſcopos; et in Norvegica Eccleſia *Janum Schielderupium*, Bergenſem, cujus et pater et avus Epiſcopatum gesſerunt, hic Bergis, ille Nidroſiæ; ut Svecos atque Britannos ejusdem rei nobis exempla præbentes taceamus.

Quæ vero TETENSII noſtri fuerint ab ineunte adoleſcentia ſtudia, quæ itinera, quæ ab eo geſta munera, quæ vitæ et valetudinis commoda et incommoda, quibus denique inclaruerit ſcriptis, jam Ipſius verbis exponetur.

VITA STEPHANI TETENS.

Natus ſum ego Stephanus Tetens anno 1773 d. 7timo Maji Hothersheſiæ, cujus urbis tunc temporis æque ac hodie florentisſimæ ſcholæ Rector præfuit pater Petrus Jacobi Tetens. Infans adhuc lactens cum patre, præpoſito dioeceſeos Ripenſis nominato, Ripas migravi, ibique optimæ et pientisſimæ matris, Ananiæ Wederkinch, ſollicita cura et vere materna uſus octo primos pueritiæ transegi annos, prima literarum, teneræ ætati puerili apta, edóctus elementa. Nono ætatis anno cum dilectisſimo patre, Epiſcopo dioeceſeos Viburgenſis vocato, filius ſecutus ſum Viburgum, cujus ſcholæ, tum numero diſcipulorum non minus frequenti ac doctrina moderatorum inſigniter notæ, traditus ſum inſtituendus. Octennio præterlapſo me rude donatum Hafniam miſit numero civium Academicorum adſcribendum ludi Viburgenſis Rector, beatus Georgius Hanſen, cujus ingenii acumen, eruditionem multifariam et eximia docendi dona omnes mirantur, quotquot illum præceptorem ſalutaverunt diſcipuli. Anno 1789 in examine, quod artium dicitur, illos probavi progresſus, ut laude et publico encómio diſcederem ornatus; ſcholis Philoſophorum dein ſedulus et asſiduus adeo interſui, ut ſemeſtri interjecto (prævia quippe domi tum patris carisſimi cum præceptoris meritisſimi, jam multis abhinc annis defuncti, Conrectoris ſcholæ Viburgenſis, Kruſii in diſciplinis Philoſophicis uſus inſtitutione) examini me ſubjicerem, unde quoque laudem cum encomio publico reportavi. Studio theologico jam animum ſine mora applicui, non minus propria mente incitatus ac conſilio patris impulſus; nec mirum ſi illud ſtudium inprimis juveni arrideret, cum ſcientia rerum divinarum, quæ in alma noſtra Univerſitate doctores egregia doctrina, ingenii acumine eximiisque animi dotibus inclytos ſemper et adhuc hodie invenerit, tunc temporis a viris celeberrimis traderetur, Ballio nempe, Hornemanno, Moldenhavero, et Müntero, quorum nomina in orbe literario, tanquam in cælo primi ordinis ſidera, micantia ſplendent: viris, in quibus fere neſcis, utrum doctrinam et ingenium an humanitatem magis admireris: viris denique, quorum immortalia in me merita et beneficia gratisſima mente ſemper repoſita manebunt. Coram his viris, judicibus his anno 1792 me explorandum ſiſtere non dubitavi meosque in diſciplinis theologi-

cis profectus sicut et mea, concionem sacram publice habendo et juniores publice interrogando, edita specimina, laude dignos unanimi consensu judicarunt censores Summe Venerandi. Eodem anno Conscripti Patres Universitatis, iidemque fautores mei, de me studiisque meis bene sperantes, me inter alumnos Collegii Medicei — igne hostili profana et sacrilega manu injecto eheu consumti et, triste visu, in cineres redacti — benigne receperunt. Literarum humaniorum et penitioris linguarum veterum cognitionis studium, studiumque de re et juventute scholastica bene merendi me jam ad se ita attraxit, ut, biennio exacto, examini a Candidatis, qui munus scholasticum appeterent, requisito cum laude me subjicerem. In votis mihi jam diu præcipue fuerat et spes mihi aliunde jam facta erat, ut, cursu academico domi absoluto, aditus peregrinos visendi mihi aperiretur; nec spes me fefellit, voti enim compotem me fecit tam clementia Regis Augustissimi quam Patrum Universitatis in stipendiis academicis mihi tribuendis favor et benignitas. Sub initium veris anni 1794 iter aggressus inclytam Musarum sedem Goettingæ petii, cujus limen vix attigeram, cum ad lumen ejusdem coram intuendum, celeberrimum nempe Heynium, festinarem, illi simul traditurus literas commendatitias, quas mihi dederat heros illustrissimus et excellentissimus Ove Hoegh Guldberg, patronus æternum mihi colendus. Nec facile mihi literas jucundiores apportare contigisset; blande enim et benigne adeo exceptus sum, ut copiam consilii sui suique libere adeundi statim mihi daret vir ille optimus; qua copia sicut abuti fuisset petulantiæ, ita stultitiæ fuisset non uti velle. Non tantum aditum seminarii illius Philologici — cui quantum debeant, Germaniam intra et extra, Universitatum Cathedræ et scholarum subsellia nemo ignorat — mihi patefieri jussit, sed et studiorum meorum sponte sua ita se obtulit moderatorem, ut singularem meum in literaturam Græcam amorem magis magisque incitaret, exercitia qualiacunque mea et pericula domestica censuræ suæ subjiceret, libros consulendos manuque diurna et nocturna versandos mihi svaderet, et obvia mihi, quibus solvendis ipse impar essem, dubia enodaret. Duobus annis et dimidio ita Goettingæ transactis et Kilonii, quo me nostratesque — catervis Gallorum Germaniam hostili animo aggredi, inundare et turbare minantibus — refugium petere prudentia suasit, Lutetias Parisiorum, autore et impulsore Heynio, adii eo consilio ductus, ut non modo ipsis oculis interiorem Reipublicæ Gallicæ statum penitius inspicerem et instituta, quæ scientiis et artibus inserviant, familiariter cognoscerem et manuscriptos denique, qui in Bibliotheca regia plurimi asservantur, codices Rhetoris illius Græci, Homogenis — cujus novam editionem, temporum iniquitate retardatam, jam haud dubie sub loculis premendam, nunquam prodituram, versione latina addita, Goettingæ præparaveram — inter se summa cura conferrem. Trimestri itaque, cujus meminisse sæpius juvavit et sæpe olim juvabit,

Parisiis haud sine fructu peracto per Bataviam natale repetii solum, quod animo fere exsultante salutavi; est enim manetque verum: quo propius exteros noveris, eo magis patriam dilexeris. Anno 1797 in patriam redux dubius eram, in bivio quasi positus, incertus nempe utra, doctoris ecclesiæ an scholarum præceptoris, mihi ingredienda esset via; anceps igitur ad patronum, jam dictum, excellentissimum illum Hoegh Guldberg, cujus eximiam in me, quam sæpe grata mente expertus eram, benevolentiam nihil nisi summa mea erga eum reverentia et summa mea in eo fiducia æquaret, cliens fiduciæ plenus me verti, eo proposito firmus, ut quæ ille mihi suaderet legis instar mihi essent. Singulis igitur bene perpensis et ponderatis sola sua autoritate me eo duxit, ut scholasticum, si forsan se obtulerit, appeterem munus, cujus ambiendi et brevi post exoptatissima mihi data fuit occasio; nec spem fefellit eventus; ante exitum enim anni munus Conrectoris scholæ Ripensis clementia Regis Augustissimi mihi demandatum fuit. Eodem adhuc anno, antequam Urbe relicta capesserem munus, dissertatione publice defensa summos in Philosophia honores obtinui; et anno versus finem vergento virginem dilectissimam, quatuor jam annis mihi desponsam, Charam Sophiam Gaarder, duxi uxorem eamque semper expertus sum conjugem fidelissimam, quæ constans suique semper similis in adversis non minus ac secundis æquam servaret mentem, dulce levamen malorum, cui cujusque de me ægrotante vel longa annorum serie curæ indefessæ quid quantumque debeam si non agnoscerem nimis essem ingratus, si reticerem iniquus, quin injurius forem. Sub exitum anni ad ineundum munus mihi nuper delatum Ripas festinavi, quas ultimo anni die, paucis antequam clauderetur annus attigi horis. Annum ita decursum, tot et tantorum beneficiorum memoremque ditemque, seria mente, serio oculo respiciens non poteram quin gratas ad coelum tollerem manus; et quid mirum, si ille annus, qui me reducem in patriam, publico muneri præfectum, honoribus academicis ornatum, novum denique maritum viserat, in tota mea vita præ cæteris mihi arrideret? si ille annus inter cæteros omnes albo mihi notandus sit lapillo? quid mirum, si hunc annum presse, quin et ad literam sumtum, nominaverim terque quaterque felicem. Per septennium fere munere scholastico functus ex institutione juniorum magna gaudia animo cepi; ecquis enim rudis adeo esset, qui non ingenium juvenum exercendo, illis artes tradendo, illos humaniora docendo, illorumque mores formando mire se delectaret? Plures tunc erant scholæ discipuli, qui juvenes magna pollicebantur; nec desunt, qui jam viri expectationi fecerunt satis, qui ecclesiæ et scholis, reipublicæ et literis jam diu haud parum profuerunt, non sibi sed patriæ ejusque saluti et honori consulentes. Qui me præceptore utebantur curæ mihi fuere cordique ad unum omnes, nec pauci erant, quos in deliciis habui et adhuc habeo, quos oculo amici ne dicam patris prosequor usque.

Nec otium, quod ternis per hebdomadem diebus munus mihi largiebatur, inutiliter erat consumtum; quot enim vixi nec scholæ nec discipulorum ingeniis excolendis, tot mihi ipsi meisque ipsius studiis excolendis dies vixi. Licet parva tenuique sorte beatus beatos vitæ degerem dies, res tamen meæ, provida prudentia suadente, poscebant ut novum appeterem munus, quo parciora largioribus mutando, mutato officio, ab anxia victus necessarii cura liberior lætiores, qui me expectarent, prospicerem dies. Nec diu frustra inter Candidatos nomen meum professus sum; anno enim 1804 cætui Fridericiano Trinitatis dicto eidemque in vico Veilbye ecclesiæ annexæ præfectus sum sacrorum antistes. Novum munus ut nova onera mihi imposuit, ita nova mihi peperit gaudia; tunc usque non nisi juniores institueram eosque docendo sacra quasi miscueram profanis; nunc meum simul erat homines ætatis adultæ, annis animoque maturos, viros fæminasque senesque docere et monere, hortari et consolari, ad sacra ducere, ad cælum quasi erigere. Eo, qui attingendus esset, ante oculos posito scopo, quid mirum, si omnes qualescunque intenderem vires; nec frustra, laus et gloria sit uni Deo in cælis! laboravi; sæpe enim lætus expertus sum verbum divinum, cujus minister essem et interpres, esse "vivum et efficax et quovis ancipiti gladio acutius;" sæpe cum Paulo expertus sum non irritum esse "sermonis atque prædicationis genus, quod non fuit verbis humanæ sapientiæ ad persuadendum comparatis, sed valida quadam et ab ipso divino spiritu profecta demonstratione suffultum;" id denique expertus sum integerrimum quemque concionatorem sacrum, qui doctrinam cælestem puram et non fucatam tradiderit, densa et frequenti auditorum nunquam destitui corona. In eo munere, si forsan curis et negotiis, attamen non minus gaudiis pleno, jam quinquennium feliciter mihi cesserat, cum me admodum sanum et corpore omnino integrum inopinato et repente, haud aliter ac viridem arborem silvæ cælo sereno subito feriens fulminis ictus, malum, quod medici ischiadicum vocant, vehementer adeo invaderet, ut artus quasi rigidi et obdurati, sub cruciatibus vix sustinendis, ne levissimo quidem corporis motui pares essent; nec cessavit malum sed multo potius, quasi altis radicibus actis, ita inveteratum videbatur, ut per duos fere annos, donec Fridericiæ manerem, administrum, qui ope sua me juvaret, necessitate urgente, mihi adsciscerem. Sensim sensimque imminutum quidem erat malum, sed necessitatem mihi tamen imposuit de alio loco et munere cogitandi ubi non curam, quæ vires meas longe superaret, binæ postularent ecclesiæ. Votis bene et prospere successit; anno enim 1811 septennio iterum Fridericiæ peracto me pastorem primarium ad ædem, quæ Othiniæ est, Scti Canuti et præpositum dioeceseos Fioniensis nominavit Rex Augustissimus. Illuc festinare me quidem jussit et incitavit animus, sed iniqua illa valetudo, potentior eheu! vetuit quin prohibuit; sex mensibus igitur retardatus novum mihi traditum munus anni se-

quentis menſe Aprili demum adii adhuc imbecillus. Creſcente æſtate vires ſimul crevere et lætus lætiora tempora proſpexi; vix vero invaluerat aſperrimus ille autumnus, procellarum, pluviarum et turbinum comes, cum in lectum iterum proſtratus ibique quaſi vinculis diſtentus gravisſimos ſubirem dolores. Tres jam inſequebantur anni, in quibus quæ vix crediderís pasſus ſum mala; nulla erat dies, quid dico dies, nulla erat hora, nullum fere horæ momentum, ubi non vehementer pasſus ſum; non ſyllabam pinxi, ne literam quidem ſcripſi, ne lineam quidem duxi niſi lateri incumbens, manu femori et lumbo ſubjecta et firme impresſa ut dolores ſaltem levarem; baculo nixus non niſi reptans huc illuc me anxie movi; ſuggeſtum ſæpe vix et ne vix quidem præ dolore conſcendere valui, nec raro in concionem prodiens vultu pallido tremuloque pede præſentium metum non minus ac miſericordiam commovi. Mirum vero quantum anima in corpus autoritate valeat; ſæpe enim, labiis vix apertis primisque orationis orbibus clauſis, mente ſupra terram verſus cœlum evecta, dolores quaſi fugati cedebant; ſic anima, pars noſtri longe potior, principatum ſuum tueri, corpus quaſi ſpernere et ſubigere viſa: quæ vero ſævpius inclytisſimi victoris fors fuit, ut nempe inauditam quidem reportet victoriam, eandem vero non tueri valeat, ea quoque animæ conditio erat; domum enim languidus reverſus dolores et ſenſi reverti et quidem novis, quibus reſiſtere non liceret, auctisque viribus, nuperam jacturam quaſi reſarturos et publicum contemtum ulciſci cupidos. Sic annum annus excepit et ſæpe lacrimans triſti animo ſenſi, quam parum muneri meo, cujus plurima et multifaria negotia totum virum mentis ſanæ in corpore ſano requirunt, ſufficerent vires; ſi vel aliis, qui imbecillitati meæ indulgerent, qualicunque mea opera ſatisfacere potuerim, mihi ipſi certe non potui, eo unice gaviſus, voluntatem, etſi deſint vires, tamen eſſe laudandam. Inter magna et multa ægritudinis meæ incommoda illud ſane non infimo loco ponendum duxi, quod ea impeditus ſummos in Theologia honores a S. V. Univerſitatis Hafnienſis Theologorum ordine benigne mihi oblatos recuſare fuerim coactus. Is enim non eram, qui licet inanem vanamque gloriæ umbram ſpernerem, veri honoris intactus eſſem amore; facile igitur cernis, me adhuc plus doloris de eo ſenſiſſe, quod tanti mihi oblati honores eſſent recuſandi, quam gaudii de eo, quod ſex abhinc annis me inter equites ordinis Danebrogici auratos recipi juſſerit Rex clementisſimus, vel de eo, quod ſocietas ſcientiarum Nidaroſienſis totidem abhinc annis me ſodalem cooptaverit. Succesſu denique temporis, aquarum ſalubrium uſu, itinere in Holſatiam et Norvegiam haud ſine moleſtia facto, arthritis, qua laborabam, me tandem ſi non omnino deſeruit, attamen vehementer affligere ceſſavit; illud vero valde et maxime doleo, quod ſenſim ſenſimque recedens morbo pulmonem ita occupanti, ut libere reſpirare ſæpe non liceat, locum quaſi dederit. Difficilis illa, anno et quod excurris

abhinc coëpta, respiratio tunc præcipue mihi obstitit, cum in vasta nostra Scti Canuti æde, templo illo superbo et alte exstructo, majestatis pleno, prodiram concionem habiturus; quovis enim sermone longiore finito ea erat per plures horas pulmonum imbecillitas, ea cordis palpitatio ut sonum vocis, quem audires, vix edere possem, quæ vellem et quæ cogitarem indiciis significare coactus. Anxie igitur sermoni habendo me semper accinxi; metuendum enim erat, ne forte inter sermonem aliquando contentius dicenti accideret, ut asphyxia mihi ingrueret. In eo igitur eram ut, licet animus valde repugnaret, svadentibus mihi familiaribus, urgente medico eodemque amico, jubente necessitate, alius mihi quærendus esset locus, aliud appetendum munus, quod minorem virium, pulmonum saltem, requireret intentionem, nulla redituum, nulla muneris officiique dignitatis habita ratione. De futuris ita sollicitum me sustinuit fiducia in Deum, cujus nutu omnia geruntur, cujus innumera erga me beneficia ab incunabulis usque ad hodiernum diem lætus expertus eram et gratus agnosco, et persvasissimum ideo habui ea certissime fore, quæ optima et mihi utilissima essent; nec me pudefecit illa, quam religiò docet, fiducia; ille enim Deus, "in cujus manu corda regum quasi rivuli sunt" Regem nostrum eo flexit ut, loco defuncti S. V. Victoris Christiani Hjort, me die 23 Aprilis hujus anni dioeceseos Ripensis constituerit Episcopum. Quo munere ut rite persungar ad laudes Dei celebrandas et salutem illarum, quæ curæ meæ mandatæ sunt, ecclesiarum promovendam, ut mihi est in præcipuis votis, ita enixe rogo et oro. Preces meas exaudiat Deus Ter Optimus Maximus!

Quæ typis imprimenda curavi hæc sunt:

Dissertatio pro stipendio Collegii Medicei: Observationes in Epistolam Pauli ad Philemonem,

Dissertatio pro summis in Philosophia honoribus rite obtinendis: Difficiliora quædam in libro Hermogenis Περὶ εὑρέσεων loca illustranda, præmisso brevi disciplinæ Hermogeneæ conspectu.

Bidrag til Kundskab om Underviisningsanstalterne i Frankrige, især i Paris.

Versio danica Platonis illius dialogi, qui inscribitur Kriton.

Versio danica Plutarchi Vitarum virorum illustrium, cujus 4 priora volumina, societate pro literis elegantioribus promovendis hortante et præmio ornante, in lucem prodiere.

Conciones quædam, tam sacræ quam profanæ, hac illave occasione habitæ,

---

Alter igitur hic Ripenſis Epiſcopus quem conſecrare nobis contingit, ex clementisſimo Auguſtisſimi Regis decreto inaugurabitur ſacro ritu die XXVII Junii, quæ erit Dominica tertia poſt feſtum S. S. Trinitatis, in æde Fridericiana; asſiſtentibus et pia nobiſcum vota nuncupantibus Reverendisſimo Lalandiæ et Falſtriæ Epiſcopo PETRO OVTZEN BOISEN, nec non Summe Venerabilibus ſacrorum hujus Metropoleos Præpoſitis, cæterisque ejusdem Parochis.

Cui ſolennitati ut interſint, quicunque eccleſiæ patriæ bene cupiant, Deumque O. M. nobiſcum orent, ut novo huic Epiſcopo divino ſuo auxilio adesſe, atque pro ſua, qua omnia, quibus humani generis felicitas incrementa capere posſit, regit tueturque benignitate, efficere dignetur, ut curæ atque ſolertia TETENSII noſtri in adminiſtranda gnaviter dioeceſi ipſi commisſa, in commodum eccleſiæ haud ſecus ac literarum proſperrime ſuccedant atque eveniant, etiam atque etiam, omni qua par eſt obſervantia rogamus.

Dabamus Hafniæ in ædibus epiſcopalibus Idibus Jun. MDCCCXIX.

SUB OFFICII NOSTRI SIGILLO.





